



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

13

77



A 111
4

Th. 4777.

COMPENDIOSA

P R A X I S
BENEFICIARIA

^{E X}
CONCORDATIS INCLYTÆ

Nationis Germanicæ, Regnorum Poloniæ & Galliæ
cum S. Sede Apostolica initis, ac privilegiis Clero Leodienſi
ab eadem S. Sede indultis, vim quoque Concordato-
rum obtinentibus

D E D U C T A.

*Variis Summorum Pontificum Constitutionibus, Diplomatum Cæsareis, Cardi-
nalium Concilii Tridentini interpretum Declarationibus, Rotæ Romana
Decisionibus, & probatissimorum Auctorum placitis elucidata & roborata.*

Operâ & studio

LAURENTII NICOLARTS

SS. Theologiæ Doctoris, Prothonotarii Apostolici, atque
inſignis Eccleſiæ Collegiatæ S. Ioannis Evangelistæ in
Civitate Leodienſi Canonici.

Collegij Socii J. Paderb.

Anno M.



DC. LVIII.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Ioannem Antonium Kinchium.

Cum Privilegio S. C. Maiest.



Praefatio ad Lectorem.

Studioſo Lectori, praxiſ beneficiariæ diſcendaſ amatori ſalutem.

Benevole lector, tritum eſt: nemo debet inauditus damnari, ne igitur me inauditum prae maturo iudicio cenſeas, praſentem tractatum ab inſtituto meo alienum iudicando: utpote, qui haec tenus theoriae deditus, nunc ad praxim & tuſ ſubito deflexerim; viſum fuit praecoci cenſura ire obviam, innuens, hunc nequaquam vitae conditioni, aut ſtudioſorum meorum rationi conatum repugnare, ſed vel maxime congruere: primum quidem, quod nemini potius ſavo iudicio, beneficiarum Eccleſiaſticorum naturam ſcrutari, praſcriptas in eorum collatione Regulas, pro quotidianis caſibus occurrentibus noſſe, & de iis agere, quam perſonis Eccleſiaſticis & beneficiatis conveniat; adhuc maxima & artiſſima inter Theologiam & ſſ. Canones, ac Pontificias Conſtitutiones, theoria & praxim ſit communio, ut alterum ſine alterius connexione & adminiculo conſiſtere vix queat; neque ego uſque colui theoria, ut praxim omnino excluſerim, praſertim beneficiariam, CONCORDATORUM Germania inter Sedem nimirum Apoſtolicam, & inclytam Nationem Germanicam conventis articulis innixam: in qua non exigua mihi diſcendi fuit occaſio, dum ſub theoria, & poſt eam decurſam, in familia per-illuſtris & Reverendiſſimi Domini D. GEORGII PAULI STRAVII Epilcopi Ioppenſis, ſuffraganei & Vicarii in ſpiritualibus Generalis Coloniensis, Avunculi mei Colendiſſimi, praeceos Romana Curia ſtudioſiſſimi conſtitutus, quotidianas ferme de eiſmodi caſibus quaſtiones & diſcuti audirem, & diſcutiendas obſequens Nepos relative acciperem, facem mihi aliquam
GEORGIO
BRAN-

Præfatio Ad Lectorem.

BRANDEN in hac, ni fallar, materia propè unico præferente, qui tamen nimiam brevitati studens, principales controversias vel omittendo, vel cursim transeundo, incidit in illud: brevis esse laboro, obscurus fio. Dabis ergò veniam bone Lector, quod horis succisivis prædicta CONCORDATA Germania, quæ à plerisque ignorantur, ab aliis contemnuntur, ab aliis sinistra interpretatione depravantur, enucleatius explicare conatus sim, eaq; de re præsens compendium, usus Magistro Practico, concinnaverim, & publicæ utilitatis ergò, & præcipuè in beneficiariorum, & collatorum Ordinariorum gratiam, quibus hic libellus manuarius serviet pro forma & norma in beneficiariorum collationibus observanda, conformiter supradictis Germania CONCORDATIS, luce etiam publicâ donarim; spero siquidem hac prima praxis mea tyrocinia tibi perquam fore grata, mihi maius quid & limatius, temporis decursu in eiusmodi materia tentandi calcar additura. Intere à hisce frueri, atque ad tuam & proximi tui instructionem & salutem utere.




Censura.

PRimus admodum Reverendi & eximii D. *Laurentii Nicolartsi*, in antiquissima Pontificia Vbiorum ad Rhenum Univeritate Sacræ Theologiæ promoti Doctoris, Prothonotarii Apostolici, atque insignis Ecclesiæ Collegiæ S. Iohannis Evangelistæ Leodiensis Canonici Capitularis &c. *praxis beneficiaria*, ex Germaniæ, Poloniæ, Galliæ, aliisque Concordatis, accuratâ lucubratione formatus & limatus fœtus, is est, qui nil à bonis moribus, fide Romano-Catholica Apostolica devians complectitur; ast maioris conaminis, & ingenii ad maiora nati non obscurus prodromus; proin eundem dignum iudico, qui in totius Germaniæ, quin Ecclesiæ

Censuræ

clesiæ utilitatem, comprimis tamen eorum, qui solidam praxi
beneficiariæ, ad evitandum plurimas in iisdem exorbitantias, no-
titiam sectantur, commodum & directionem, typo divulgetur.
Colonix Agrippinæ, 9. Novembris 1657.

LAURENTIUS PELLIONIS
SS. Theol. Doctor, Aedis Metro-
litana Coloniensis Canonicus Capitularis
Presbyter, SS. Apostolorum Pastor, M. P.



ALTE R A.

Liber inscriptus: *Compendiosa praxis beneficiaria* ab Admodum
Reverendo & eximio Domino *Laurentio Nicolart*, SS. Theo-
logiæ Doctore Profundissimo, Insignis Collegiæ Ecclesiæ
Leodiensis ad S. Ioannem Evangelistam Canonico Capitulari sci-
tè compositus, non modò nihil ab orthodoxa fide, honestisq; mo-
ribus alienum complectitur, sed etiam præter complura alia in-
signia documenta, eruditissimè perspicuâ quâdam Concordatorum
Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ cum Sede Apostolica initorum, uti
& Privilegiorum Leodiensi Clero ab eadem Sede concessorum e-
lucidatione, in diversis authenticis Summorum Pontificum Con-
stitutionibus, Cæsareis Edictis, Eminentissimorum DD. Cardina-
lium Declarationibus, Sacræ Rotæ Romanæ Decisionibus, soli-
disq; Probatorum Theologorum & Canonistarum sententiis fun-
data

Approbatio

data, exactam tradit normam & formam, iuxta quam in materia
beneficiali quilibet meritò se dirigat. ita sentio Coloniae, 9. No-
vembriis anno 1657.

THEODORUS ELMPT

SS. Theol. Doctor & Professor in Uni-
versitate Coloniensi Ordinarius.



Approbatio

Reverendissimi Domini Censoris Ordinarii.

PRaxin Beneficiariam ex Concordatis Germaniæ, Polo-
niæ, Galliæ, aliisque deductam, Summorum Pontificum
Constitutionibus, Cancellariæ Apostolicæ Regulis, Edictis
Cæsareis, Eminentissimorum DD. Cardinalium S. Concilii
Tridentini interpretum Declarationibus, atque Sacræ Rotæ Ro-
manæ Decisionibus stabilitam & elucidatam, operâ & studio
Admodum Reverendi & eximii D. LAURENTII NICO-
LARTS, SS. Theologiæ in celeberrima Universitate Coloniensi
si promoti Doctoris, Prothonotarii Apostolici, & insignis
Collegiæ Ecclesiæ S. Ioannis Evangelistæ Leodiensis Cano-
nici Capitularis conscriptam, nihil contra bonos mores, aut fi-
dem

Ordinariū Censuris.

dem Catholicam Romano-Apostolicam continere, sed pro
quorumcumque Ecclesiasticorum, beneficiarum, ac Colla-
torum Ordinariarum, cæterorumq; omnium iuris & praxeos
beneficiariae studiosorum usu, utilitate, forma & norma, maxie
mè dignam censemus, quæ in publicam lucem prodeat, Signa-
tum Coloniae die 10. Novembris, 1657.

GEORGIUS PAULUS STRAVIUS
*Episcopus Ioppensis, Vicarius in Pontificatibus
& Spiritualibus Generalis.*

Loco † Sigilli.



ACROSTICHIS GRATVLATORIA

In compendiariam de Ecclesiasticis beneficiis Praxin,

A B

ADMODVM REVERENDO ET EXIMIO VIRO
AC DOMINO DOMINO

LAURENTIO à NICOLARTS

SS. Theologiæ Doctore, Coloniae promotò, Prothonotario
Apostolico, in D. Ioannis Evangelistæ apud Leodios Ca-
nonico dignissimo, ad multorum usum laboriosè ac
doctè concinnatam.

Laudabunt alii numerosa poemata, telæ
Zon simplicis quæ texuit *Subtemine*
At *Lyricen* fidei Romanæ, aut grande cothurno
nions theatrum *Seneca* tragico, velle legis
Vtens flexilibus *Vates*, qui tristitia scripsit
Cum gaudio, multos pedestre *Tullii*
Romano ore genus capiet, *Livii*q; rotundis
Orchestra delectabit usq; cochleis.
Est sua cuiq; operi (neque contemnenda) voluptas:
Labore tamen ad altiora strenuo
Zitentes, *Consulta Patrum*, *Canonesq; beatos*
Agitant frequenter, affluuntq; honoribus,
Halibus accinctum studiis, laus maxima te **LAV-**
RENTI manet, nec præmio tantus labor
Immunis credetur: erit sua gloria *Praxi*
Tua per orbem Christianum, **A**vunculus
At quoque lætetur maturis **S**TRAVIUS annis,
Abiorum ovili qui præest, **E**piscopus
Sacratum referens peregrinæ nomen *Ioppe*.
Sequana, **T**ibris, **V**istula, **T**agus plaudat operi.

Amicitia & honoris causa alludebat

CHRI**S**TIANUS **A**DOLPHUS **T**HULDENUS *Canonicus*
Diaconus ad B. Mariae Virginis Gradus. SS. Theologiae Licentiatas,
Colonia anno 1657. mense Novembri. postridie D. Cunibartè.



ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
DOMINO

D. JOSEPHO
SANFELICIO
ARCHIEPISCOPO

Consentino, S^{mi} D. N. ALEXANDRI
PAPÆ VII. & Apostolicæ Sedis ad Tra-
ctum Rheni, & inferiores Germaniæ par-
tes cum potestate Legati de latere
Nuntio, Domino & Patrono
suo Colendissimo.

ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME
DOMINE,
PATRONE COLENDISSIME.

Numer.
cap. 18.
v. 8. & 11.



N libro *Numerorum* est, quod
Deus sibi primitias, seu primam
frugum obventionem, uti su-
premo rerum omnium Domi-
no debis

[*]

Epistola

*o. r. de de-
cipis.*

no debitam, in Sacerdotii prerogativam, AARONI eiusq; filiis munificam largitione attribuerit: unde & hodie Sacerdotibus assignantur. Huiusce legis ductu non dubitavi meorum quoque laborum primitias, seu primos ingenii mei fructus ILLUSTRISSIMÆ C. V. promptè & devotè consecrare, ac presentem lucubratiunculam, seu commentariolum in CONCORDATA inter Sedem Apostolicam, & inclytam Nationem Germanicam pacta & inita confectum, ILLUSTRISSIMI NOMINIS SUI auspiciis multis quidem titulis inscribere; ac primùm quidem, quia nulli, quàm ILLUSTRISSIMA C. V. potiori iure debebatur, quæ non solum munere magni Sacerdotis, ut AARON fungitur, iure quasi Divino sibi huiusmodi primitias deposcens: verùm etiam SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI ALEXANDRI PAPÆ VII. eiusq; sanctæ Sedis in hisce Germaniæ partibus dignissimum agit Legatum, & Magni illius AARONIS filium re-
præs

Dedicatoria.

præsentat; præsentia autem **CONCORDATA** inter S. Sedis Apostolicæ tunc Legatum, & Nationem Germanicam fuere conclusa: & ita ipsi præ cæteris, qui eiusdem honoris & legationis apud Nationem Germanicam vices obit, erant adscribenda. Deinde si res ipsa, de qua agitur, ex æquó pensetur, non poterit non gratiosissimis eius oculis exiguum hocce studium meum, quo nimirum inviolatum Sanctæ Sedis Apostolicæ cum Romanorum Rege **FREDERICO III.** & Germaniæ Principibus, ac Prælati sancitum fœdus enucleatur, blandè & suaviter abblandiri; quid enim sancto fœdere, quid pace & unitate cum Ecclesia Romana omnium aliarum domina, matre ac magistra perpetuò conservandâ præstantius? quid gratius? quid **ILLUSTRISSIMÆ C. V.** honorificentius? quæ Apostolicis planè conatibus, pacis quâ publicè, quâ privatim in perturbatissimo rerum omnium per Germaniam statu tuendæ & restituendæ pro fidei Catholicæ pro-

(**)

paga-

Epistola

pagatione est usque adeò studiosa, ut non ita pridem ex speciali SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI Commissione, singulos Principes Electores Ecclesiasticos privatim convenire, & ad pacificam ac concordem novi Regis Romanorum electionem verbis efficacissimis hortari voluerit, eoq; etiam sine Francofurtum ad Imperii Comitata sit deputata, ut id ipsum SUA præsentia, consilio, agendi dexteritate, de qua SUA SANCTITAS sibi plurimum pollicetur, cum immortalis SUI NOMINIS gloria amplius præstetur, & universæ Germaniæ pacis promovendæ zelus innotescat.

Et munusculum hoc meum meritis quidem est impar, ea tamen de ILLUSTRISSIMÆ C. V. humanissima benevolentia mihi spes est, ut hoc etiam quantumcumque tenue obsequii genus prono affectu sit prosecutura: maximorum siquidem Virorum ea indoles est, ut offerentis tenuitatem humanitatis suæ opulentiâ non gravatè locupletent.

Dedicatoria.

pletent. Patere igitur ILLUSTRISIME DOMINE, ut dum ILLUSTRISIMA C. V. Germaniæ paci, & unanimi Regis Romanorum electioni tantis studiis prospicit & intendit, hic CONCORDATORUM Germaniæ cum S. Sede Apostolica initorum tractatus (sine quibus veteres Romani Pontifices, teste *Leonino*, existimarunt decus Christianæ Religionis, pacis & tranquillitatis publicæ sustineri & conservari non posse) sub splendidissimi & pacis amantissimi NOMINIS SUI insigniis lucem aspiciens, firmissimo Apostolicæ tutelæ præsidio contra æmulos & pacis osores, ac Criticos quosvis censores protegatur: eò enim faventiozem inveniet lectorem, quò illustriorem habuerit protectorem; omnibusq; omninò id placebit, quod ILLUSTRISIMÆ C. V. prudentia probarit, & benevolentia acceptarit; cui erga me hætenus adeò abundè demonstratæ obstrictissima sunt quævis literarum mearum studia, & devotissima
animi

*Leoninus
consil. 508*

Epistola Dedicatoria.

animi obsequia. Cæterùm ut ansa mihi detur, illa futuris annis, vitâ, Deo favente, comite, in ILLUSTRISSIMA C. V. promptiùs declarandi, eiusq; beneficium favorem ampliùs demerendi, quod Vates lyricus Augusto Imperatori exoptabat:

Serus in cælum redeas; diuq;

Lætus intersis populo Quirini.

*Horat.
lib. 1. oda
2*

ILLUSTRISSIMÆ C. V. pro totius Germaniæ bono, pace & tranquillitate medullitus pariter opto, Deum supplex orando, ut eandem diutissimè sospitet, aeternumq; post fata suprema beet. Coloniae Agrippinæ die 11. Novembris. S. Martino Episcopo sacrâ. 1657.

ILLVSTRISSIMÆ C. V.

Humillimus & Devotissimus servus

LAURENTIUS NICOLARTS.

I.

P R O O E M I U M.

C O N C O R D A T O R V M

G E R M A N I Æ.

§. I. **V**m juxta Philosophum



lib. 2. poster. cap. 1. de re qualibet prius
 sciscitari oporteat, an sit; ideò pro
 debito ordine servando, & faciliori
 Concordatorum Germaniæ notitia, ne-
 cessario præmittendam, quin & altiùs
 repetendam censui eorundem Con-
 cordatorum cum inclijta Natione

*Historica
 deductio de
 Concorda-
 torum cum
 Natione
 Germani-
 ca initorum
 ratione.*

Germanica initorum rationem, formam & normam.

§. 2. Sciendum igitur est, uti Historici referunt, de Concor-
 datis cum Natione Germanica ineundis tempore *Eugenij* Papæ
 IV. maximè agi cœptum, quando tota propemodum Chri-
 stianitate eidem *Eugenio* vero Pontifici & Christi in terris Vica-
 rio obedientiam præstante, soli Nationis Germanicæ Principes
 inter se divisi tergiversabantur: alij enim Concilio Basileen-
 si (quod idem *Eugenius* sua auctoritate dissoluerat) & *Felici* V.
 Antipapæ adhærebant: alij cum *Frederico* III. Imperatore neu-
 trius partes sequentes, *neutrales* dici amabant; eorùq; schisma-
 te durante, Ordinarij Collatores, teste *Bzouio* in annalibus ad an-
 num 1444. pro arbitrio suo beneficia conferebant.

*De eis sub
 Eugenio
 Papa 4. a-
 gi cœptum.*

§. 3. Itaque *Eugenius*, ut hos ad veram obedientiam perduce-
 ret, & à Concilio Basileensi abstraheret, misit *Thomam Sarzanen-*
sem Episcopum Bononiensem, postea summum Pontificem
Nicolaum V. dictum, *Ioannem Caruaiales* Doctorem Iuris, post
 S. R. E. Cardinalem S. Angeli, & *Nicolaum Cusanum* Theologum,
 post similiter S. R. E. Cardinalem Anno 1446. in Germaniam,
 ut cum Principibus ea de causa tractarent. Conventum ergò

*Per suos ad
 Casarem,
 & Germa-
 niæ Prin-
 cipes depu-
 tatos.*

A

fuit

fuit Francofurti Anno 1446. cum Imperatoris *Frederici* Austria-
ci legatis *Alberto* Marchione Brandenburgensi, *Petro* Augusten-
si & *Sylvestro* Chiemenfi Episcopis, & *Casparo Schlick* Cancellario,
nec non cum Electoribus *Theodorico* Moguntino, *Theodorico*
Coloniensi, *Iacobo* Trevirensi Archiepiscopis, *Ludouico* Comite
Palatino, *Iacobo* Marchione Badensi, Oratoribus Ducis Saxoniae,
& *Friderici* Marchionis Brandenburgici in Marchia Brandebur-
gica residentis, *Friderico* Magdeburgensi, *Friderico* Salisburgensi,
Gerardo Bremensi Archiepiscopis, *Ioanne* Merspurgenfi, *Petro*
Naumburgensi Episcopis, & Deputatis à Concilio Basileensi,
Ludouico Arelatensi, alijsq; nonnullis Doctoribus, praesente
Aenea Piccolomineo aliàs *Syluio* nuncupato *Frederico* Romanorum
Regi à secretis, postea S. R. E. Cardinale, & demum Pontifice
Pio II, dicto. Vbi unanimi consensu conclusum fuit, ut *Eugenius*
maneret in Papatu, ac pro vero Pontifice agnosceretur, dum-
modo tamen Decreta Basileensia seruaret, ac nonnulla Nationi
Germanicae indulgeret. *Primum* erat, ut Generale Concilium
mense Maio anni sequentis 1447. in uno sex Germaniae nomi-
natorum locorum per Pontificem designando convocaretur.
Alterum, ut professio potestatis, auctoritatis &c. Generalium
Conciliorum militantem Ecclesiam representantium per Ora-
tores Apostolicos facta, literis Apostolicis approbaretur. *Ter-
tium*, ut Nationi Germanicae super praetensis gravaminibus,
nempe super reservatione & collatione Ecclesiarum & benefi-
ciorum Ecclesiasticorum opportunè provideretur. *Quartum*
& ultimum, ut quae in praedictum duorum Principum Electo-
rum Coloniensis & Trevirensis, vel suarum Ecclesiarum acta es-
sent, ex suae sanctitatis clementia revocarentur.

Ex eorum-
dem ecci-
pro. è ad
Pontificem
legatos.

Pontifex
Concorda-
ta appro-

§. 4. Signatis huius articulis & pactis, singulorum Electorum,
Principum, Archiepiscoporum, & Oratorum singulis sigillis,
dacta est legatio ad *Eugenium* Pontificem, quae nomine toti-
us Germanicae Nationis & Caesaris ei obedientiam deferret, ac
postulata & concordata impetraret in proxima Dominica *La-
tare* Anni 1447. in Comitibus Norimbergensibus publicanda.

§. 5. *Eugenius* postò auditis in Consistorio secreto Legatis, pos-
tulata concessit, & Concordata approbavit. Speciali desuper
edita.

Germaniæ.

edita paulo ante obitum suum Constitutione: eoq; defuncto, Nicolaus huiusce nominis Papa V. successor, misso in Germaniam Ioanne Cardinale S. Angeli ad S. R. I. Proceres Alschaffenburgi congregatos, eadem prius simpliciter, postea tamen certo modo confirmavit Constitutione sua, quæ sequitur.

3
bas, eiusq;
successor
Nicolaus
eadem con-
firmat.

Tenor Concordatorum Germaniæ.

NICOLAUS PAPA V.

Nicolai Pa-
pe 5. Con-
stit. Bul-
larij tom. 1.



DI SACRAM PETRI sedem Di-
vina dispositione sublimati, singulis,
quæ pro universalis Ecclesiæ unione, ac
pace & tranquillitate profutura conspi-
cimus, Apostolicæ providentiæ solici-
tudine libenter intendimus, & ad felici-
tatem eorum prosecutionem & consumma-
tionem, opem, & operam impendimus efficaces.

Exordium.

Num. I. Nuper siquidem charissimus in Christo filius Nos-
ter FREDERICUS Romanorum Rex Illustris, & nonnulli
alii dilecti filii Ecclesiastici, & Seculares Principes inclytæ
Nationis Germanicæ ex una, ac dilectus filius Noster IO-
ANNES S. Angeli Diaconus Cardinalis in partibus illis Apo-
stolicæ Sedis de latere Legatus, per Nos ad dictas partes
missus, sufficienti desuper à Nobis & Sede Apostolica auctori-
tate suffultus, ex alia partibus, Rom. Ecclesiæ & dictæ Natio-
nis nominibus, pro ipsius Ecclesiæ unione, pace & tranquillita-
te, inter Ecclesiam & Nationem prædictam perpetuò solidandis
& conservandis, diversa rationabilia & utilia ordinatio-
nes & statuta, à partibus ipsis hinc inde approbata, laudata,

Fredericus.
Imperator
Princis
pesq; Ger-
manicæ, &
legatus A-
post. ordi-
nationes
sive concor-
data fecer-
unt super
reservatione,
& collatione
Ecclesiæ
& benefici-
orum.

conclusa, acceptata, & Concordata fecerunt, ac ediderunt, Nobisq; humiliter supplicari fecerunt, ut illis pro firmiori eorum subsistentia, robur Apostolicæ firmitatis adjicere, nec non auctoritatem potiore, & decretum interponere dignaremur.

*Que ten-
tesia ap-
probat.*

II. Nos itaque, qui statuta, ordinationes, & Concordata prædicta per nonnullos ex Venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus, magnarum maturitatis, auctoritatis, & literaturæ Viros, diligenter examinari & discuti fecimus, eaq; rationabilia & salubria tam Ecclesiæ, quam Nationi præfatæ fore comperimus; de dictorum, & aliorum Venerabilium Fratrum Nostrorum prædictæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, Apostolicâ auctoritate, & ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, juxta modum & formam subsequentes.

*Modificam.
de extra-
vag. Exec-
crabilis.
& Ad res-
gimen. de
præben.*

III. Placet Nobis super Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque provisionibus, uti juris scripti reservationibus & *Execrabilis. & Ad regimen.* constitutionibus modificatis, ut sequitur. Ad Regimen Ecclesiæ generalis, quamquam immeriti, superna dispositione vocati, gerimus in Nostri desiderijs, ut debemus, quod per Nostre diligentiae studium, ad quarumlibet Ecclesiarum, & monasteriorum regimina, & alia beneficia Ecclesiastica, iuxta Divinum beneplacitum, & Nostre intentionis affectum, Viri assumantur idonei, qui præ sint & prosint committendis eis Ecclesijs, Monasterijs, & beneficijs prælibatis, Præmissorum itaque consideratione
inducti

inducti, & suadentibus Nobis alijs rationabilibus causis, non
 nullorum Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontifi-
 ficum vestigijs inhærentes, omnes Patriarchales, Archie-
 piscopales, & Episcopales Ecclesias, & etiam Monasteria,
 Prioratus, Dignitates, Personatus, & Officia, nec non Ca-
 nonicatus, Præbendas, & Ecclesias, cæteraq; beneficia Ec-
 clesiastica, cum cura, vel sine cura, secularia, & regularia,
 quæcumque & qualiacumque fuerint, etiamsi ad illa per-
 sonæ contueverint, seu debuerint per electionem, seu quem-
 vis alium modum assumi, nunc apud sedem Apostolicam
 quocumque modo vacantia, & in posterum vacatura,
 nec non per depositionem, vel privationem, seu trans-
 lationem per Nos, seu Auctoritate Nostra factas, & in an-
 tea faciendas ubilibet, nec non ad quæ aliqui in concordia
 vel discordia electi, sive postulati fuerint, quorum electio
 cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntia-
 tio, & admissa Auctoritate Nostra extiterit, seu quorum
 electorum, vel postulatorum, & in antea eligendorum, seu
 postulandorum electionem cassari, seu postulationem re-
 pelli, aut renuntiationem admitti per Nos, aut Auctoritate
 Nostra continget apud Sedem prædictam, vel alibi ubicun-
 que: ac etiam per obitum Cardinalium eiusdem Ecclesiæ
 Romanæ, aut officialium dictæ Sedis, quamdiu ipsa officia
 actualiter tenebunt (videlicet Vicecancellarij, Camerarij,
 septem Notariorum, Auditoris literarum contradictarum,
 & Apostolici Palatij causarum Auditorum, Correctorum,
 centum & unius Scriptorum Literarum Apostolicarum, &
 vigintiquatuor Poenitentiaræ præfatæ Sedis, & vigintiquin-



que Abbreviatorum, nec non verorum commensalium No-
 strorum, & aliorum vigintiquatuor Capellanorum sedis e-
 iusdem in epitaphio descriptorum) & etiam quorumcum-
 que Legatorum, seu Collectorum, ac in terris Romanæ
 Ecclesiæ Rectorum, ac Thesaurariorum deputatorum, seu
 missorum hætenus, vel deputandorum, aut mittendorum
 in posterum, nunc vacantia, & in antea vacatura, ubicumque
 dictos Legatos, vel Collectores, seu Rectores, & Thesaurari-
 os, antequam ad Romanam Curiam redierint seu venerint,
 rebus eximi contigerit ab humanis; nec non quorumlibet pro
 quibuscumque negotijs ad Romanam Curiam venientium,
 seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta Curia ul-
 tra duas dietas legales non distantibus jam forsitan obierint,
 vel eos in antea ab hac luce transire contigerit: ac etiam simili
 modo quorumcumque Curialium peregrinationis, infirmi-
 tatis, seu recreationis, vel alia quacumque causa ad quævis
 loca secedentium, si eos, antequam ad dictam Curiam redie-
 rint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut præmittitur,
 non remotis (dummodo eorum proprium domicilium
 non existat ibidem) iam forsitan decesserint, vel in posterum
 eos contigerit de medio submoveri, etiam nunc per obitum
 huiusmodi vacantia, vel in posterum vacatura; rursus Mo-
 nasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus, Decanatus, Ad-
 ministraciones, Officia, Canonicatus, Præbendas, & Eccle-
 sias, cæteraq; beneficia Ecclesiastica, secularia & regularia,
 cum cura, vel sine cura, quæcumque & qualiacumque fue-
 rint, etiam si ad illa personæ consueverint, seu debuerint per
 electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promo-
 ti per

ri per Nos, seu Auctoritate Nostra ad Patriarchalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina, obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocumque modo vacantia, aut in posterum vacatura, nec non etiam per affecutionem pacificam quorumcumque Prioratum, Dignitatum, Personatum, Officiorum, Canonicatum, Præbendarum, Ecclesiarum, aut beneficiorum aliorum per Nos seu Auctoritate Nostrarum Literarum immediatè collatorum, seu conferendorum in posterum, præterquam, si virtute gratiæ expectativæ affecutio fiet, nunc vacantia & in antea vacatura, plena super præmissis omnibus & singulis cum Fratibus Nostris collatione præhabita, & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac provisioni Nostræ de ipsorum Fratrum consilio, Auctoritate Apostolica reservamus. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis & quolibet eorum, per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

arguam 6.
de elect. in
8.

IV. Item placet Nobis, quod in Metropolitanis, & Cathedralibus etiam immediatè non subiectis Ecclesijs, & Monasterijs immediatè subiectis Sedi Apostolicæ fiant electiones canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus constitutionis sel. recor. NICOLAI Papæ III. quæ incipit, *Cupientes* &c. expectabimus, & elapso dicto tēpore, si non præsentatæ, vel si præsentatæ, minus canonicæ fuerint, providebimus; & si canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de dictorum Fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerimus
provi-

Declarat-
q. circa
electiones
&c. consti-
tutionem
Nicelai 3.
Papæ in
tit. de elect.
in 6.

providendum, provisò, quod confirmati prædicti, & per Nos provisì Metropolitanis suis & alijs præstent debita iuramenta & alia, ad quæ de iure tenentur. Et in Monasterijs dictæ Sedi immediatè non subiectis, & alijs regularibus beneficijs, super quibus pro confirmatione, vel provisione ad dictam Sedem non consuevit haberi recursus, electi, seu illi, quibus providendum est, pro confirmatione & provisione huiusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur: ipsaq; Regularia beneficia sub gratijs expectativis non cadant. Vbi autem pro Monasterijs ad dictam Curiam venire, seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus, vel providebimus, quàm superiùs de Cathedralibus Ecclesijs est expressum. Et de Monasterijs monialium non disponemus, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes.

*Declarat
insuper va-
cations
futuras in
mensibus
Ordinarios
rum, ac re-
servatis se-
de Aposto-
lica.*

V. De cæteris verò dignitatibus, & beneficijs quibuscumque secularibus & regularibus vacaturis, ultra reservationes prædictas (maioribus dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Ecclesijs exceptis) de quibus iure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos aliàs pertinet; placet etiam Nobis, quod per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacumque verborum forma, per Nos, vel Auctoritate Nostra factam, vel faciendam, non impediemus Nos, quò minus de illis, cùm vacabunt de *Februarij, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris, & Decembris* mensibus, liberè disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat, reservatione, aliave quavis dispositione
Auctoris

auctoritate Nostrâ factis vel faciendis, non obstantibus quibuscumque. Quoties verò aliquo vacante beneficio in *ianuarii, Martii, Maii, julii, Septembris & Novembris* mensibus specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo Apostolicâ auctoritate provisum fuerit, ex tunc, & non antea Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit. Et ad finem, ut hæc ordinatio collationum beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per dictam Nationem publicari, & omnes qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam Sedem à Kalendis *iunii* proximè futuris, ipsa currere incipiet, & durabit deinceps, nisi in futuro Concilio de consensu dictæ Nationis aliter fuerit ordinatum.

VI. Placet similiter Nobis, quod circa provisionem dictæ Sedis ordinandam, modus Annatarum hoc modo currat. De Ecclesiis Cathedralibus omnibus, & Monasteriis Virorum duntaxat, vacantibus & vacaturis, solvantur de fructibus primi anni à die vacationis summæ pecuniarum in libris Camerae Apostolicæ taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur: & si quæ excessivè taxatæ sunt, retaxentur, & quod provideatur specialiter in gravatis regionibus secundùm qualitatem rerum, temporum & regionum, ne nimium prægraventur, ad quod petentibus dabimus Commissarios in partibus, qui diligenter inquirent & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro me-

*Et quoad
Annatas.*

B

dia par.

dia parte infra annum à die habitæ possessionis pacificæ totius, vel majoris partis solvantur, & pro alia media parte infra annum sequentem; & si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia, vel Monasterio transeat. De cæteris verò Dignitatibus, Personatibus, Officiis & Beneficiis secularibus, ac regularibus quibuscumque, quæ auctoritate dictæ Sedis conferentur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectatarum, aut causâ permutationis) solvantur Annata, seu medii fructus juxta taxam solitam à tempore possessionis intra annum, & debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat. Sed de beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur: duretq; hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius Nationis consensu contingat immutari.

*Approba-
tio Consti-
tutionis
Eugenii
IV. Papæ,
de qua su-
pra in pro-
missis.*

VII. In aliis autem, quæ per sel. rec. EUGENTIUM Papam IV. etiam Prædecessorem Nostrom pro dicta Natione usque ad tempus futuri Generalis Concilii permissa, concessa, indulta & decreta, ac per Nos confirmata fuerunt, in quantum illa Concordiæ præsentis non obviat, istâ vice nihil volumus esse immutatum. Et per hoc, quod in Concordatis hujusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis literis, propter compendiosam descriptionem Alemannia specialiter appellatur, Natio ipsa centeri non debet à Germanica Natione distincta, seu quomodolibet separata.

*Eugenii
Papæ IV.
Const. t. 29.
Bullarij
tom. 1.*

VIII. Et

VIII. Et præterea quia difficile foret præsentibus literis ad singula, in quibus de eis forsan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolicâ auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto Metropolitanorum dictæ Nationis sigillo munito, tanquam præsentibus, si exhiberentur, literis plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ præsentibus literæ forent exhibitæ, vel ostensæ. Et insuper quoque irritum & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Fides danda transumpto, & Decretum irritans.

IX. Nulli ergò omninò hominùm liceat hanc paginam Nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quadringentesimo, quadragesimo septimo, Kalendarum Aprilis, Pontificatus Nostri anno secundo.

Sanctio penalis.

§. 6. Positis Concordatis, operæ pretium censui dubia, quæ circa illa moveri solent, quoad fieri poterit, breviter resolvere & elucidare.

Dubia per istam elucidantur.

TITULUS I.
De Beneficiis Ecclesiasticis in ge-
nere, sub Concordatis Germa-
niæ comprehensis.

D V B I V M I.

*Quenam Beneficia Ecclesiastica vigore Concordan-
torum Summo Pontifici, & respectivè Or-
dinaris sint reservata?*

Concordata renovant reservationes Constitutionum Execrabilis & Ad regiam. §. I. **R**esolvendo huius dubij resolutione, & pleniori Concordatorum intelligentia, notandum est in primis Pontificem in iisdem renovare, ac dispositioni suæ omninò reservare beneficia vacantia per Constitutiones *Execrabilis*, & *Ad Regimen*, cum modificationibus ibidem expressis, quibus ne diutiùs immorer, Lectorem remitto ad commentaria q. Joannis à Chokier Vicarij in Spiritualibus Generalis Leodiensis, viri de re Literaria optimè meriti, ad reg. 1. cancell. sub num. 23. & seq. & Barbof. de off. & potest. Episc. par. 3. alleg. 57. num. 63 & seq.

Statuunt electos intra certum tempus Sede Apostolica esse confirmandos. §. 2. Notandum secundò, in dictis Concordatis statui, quod in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesijs, etiam in immediatè non subiectis Sedi Apostolicæ, & in Monasterijs immediatè subiectis fiant canonicæ electiones, quæ ad dictam Sedem pro obrinenda confirmatione deferantur intra tempus constitutum per constitutionem NICOLAI III. incip. *Cupientes &c.* alioquin ad eandem Apostolicam Sedem electiones.

ctiones devolvantur : & si dictæ electiones minùs canonicæ fuerint, de ijs per S. Sedem providebitur ; & si canonicæ fuerint, per eandem confirmabuntur, nisi ex rationabili & evidenti causa de digniori & utiliori persona ex consilio Cardinalium duxerit providendum : at in Monasterijs dictæ Sedi immediatè non subiectis, & alijs beneficijs regularibus, super quibus pro confirmatione, vel provisione ad dictam S. Sedem non consuevit haberi recursus, electi, vel providendi ad Curiam Romanam pro confirmatione, vel provisione venire non tenebuntur. De monasterijs verò Monialium eadem S. Sedes non disponet, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes.

§. 3. Omissis ergò reservationibus per *extravag. Execrabilibus. & ad Regimen.* pro quarum cognitione sufficit Lectorem remississe ad Auctores *suprà §. 1.* citatos, ad speciales Concordatorum Germaniæ reservationes accedamus. *Respondeo primo*, per Concordata Germaniæ Papæ expressè reservari provisiones Ecclesiarum Metropolitanarum & Cathedralium, etiam immediatè non subiectarum Sedi Apostolicæ, ac Monasteriorum eidem immediatè subiectorum ; ubi nimirum de ijs electiones non fuerunt factæ canonicæ, aut canonicæ factæ intratempus per Constitutionem NICOLAI PAPÆ III. c. *cupientes. 16. de praben. in 6.* non fuerunt ad eandem Sedem Apostolicam pro confirmatione obtinenda delatæ : eâ enim sanctione statutum est, ut intra unum mensem post consensum, vel noticiam electionis, ipsemet electus per se, vel si legitime sit impeditus, per procuratorem ad eandem Apostolicam iter arripiat, & ad illud conficiendum tantum temporis sumat, quantum necesse fuerit pro locorum intervallo. *d. c. cupientes. iuncto c. si postquam 33. de elect. in 6. Vallensis in paratit. iur. Canon. lib. 1. tit. 6. §. 7. num. 4.*

*Electio-
Ecclesia-
rum Me-
tropolita-
narum &
Cathedralium, ac
Monasterio-
rum non
canonicæ,
vel in te-
pore ad Se-
dem Apo-
stolicam nõ
delatæ, ad
eandem de-
volvuntur.*

§. 4. Ut autem electiones dicantur canonicæ, omninò observanda est forma in *c. quia propter. 42. de elect.* præscripta, scilicet, ut fiant uno ex quatuor modis subsequentibus. Primus est via *scrutiniè*, quo præsentibus omnibus, qui debent, volunt & possunt interesse, tres de collegio fide digni eligitur, qui

*Forma ele-
ctionis can-
onicæ.*

tur, qui cunctorum suffragia secretè & sigillatim diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi: quâ publicatione factâ, nullius mutatio admittitur, *c. publicatio. 58. de elect.* Sed ex suffragiorum collatione is unus eligitur, in quem omnes, vel maior & sanior pars consenserit. Estq; hæc electio per unum aliquem vice omnium pronuncianda, ut eo significetur electionem unicam & communem esse *c. sicut. 21. de elect. in 6.* forma autem pronunciandi hæc esse potest per eum, cui Capitulum commiserit. *Ego talem nomine meo & Capituli eligo. arg. c. 4. de sent. & re iudic. Canisius in sum. iuris Canon. lib. 1. tit. 11. de elect.* Altera via est *compromissi*, quando ij, quorum est eligere, compromittunt in unum, vel plures viros idoneos, qui vice omnium eligant, & Ecclesiæ viduatæ provideant de pastore *c. si compromissarius. 37. de elect. in 6. & c. cum in veteri. 52. x. cod. tit.* Et in eum, qui electus fuit, omnes consentire, & si idoneus sit, recipere tenentur *d. c. quia propter. 42. iuncto c. causam qua. 8. de elect.* Idem autem pronunciandi modus in electione per compromissum observatur, qui in scrutinio. v. g. *Ego compromissarius talem eligo. Canisius loco cit.* Tertia per quasi inspirationem Divinam, seu viam spiritus sancti, dum ab omnibus fit electio unanimiter, quasi conspirante consensu, *d. c. quia propter.* Quibus rectè additur quartus eligendi modus, *mixtus* videlicet ex scrutinio & compromisso, communiter receptus. *Canisius in sum. iur. Canon. lib. 1. tit. 11. de elect. Vallensis loco præcit. §. 4. sub num. 4.* puta, si ita compromissum sit, ut compromissarii, sive unus, sive plures secretè & sigillatim singulorum vota exquirant, illumq; eligant, in quem maior & sanior pars Capituli consenserit. Pronunciatio autem eodem modo hic fit, sicut in scrutinio *Canisius loco cit. Vallensis supra §. 4. n. 4.* Aliter autem facta electio est nulla, ac potestas providendi devolvitur ad summum Pontificem, uti frquentiùs decisum est à Rota Romana magistralibus sanè decisionibus coram Rev^{mo}. D. Decano Coccino. 9. Julij 1621. in una *Messen. Monasterii. & in altera Treviren. Abbatia S. Maximini.*

20. Novembris 1624. Item in eadem 24. Januarij 1625. quarum duas postremas, quia elegantissimæ & doctissimæ sunt, pro Lectoris noticia hic subjunxi.

DECISIO ROTALIS

In una Treviren. Abbatia S. Maximini
coram Rev^{mo}. D. Decano Coccino.
Mercurij die 20. Novem-
bris 1624.

N. 1. **D**editum fuit, ut Sanctissimus Dominus Noster confirmaret electionem Abbatis, quæ nisi valida sit, confirmari non debet. *c. nihil. 44. §. ceterum. de elect.* Imò si est nulla, ob non servatam formam *c. quia propter. 42. de elect.* potestas providendi devoluta est ad Sedem Apostolicam, tam vigore iuris communis, ut est *text. expressus in c. quamquam. 18. de elect. in 6. Romani. conf. 332. num. 11.* quam vigore Concordatorum & compactatorum Germaniæ. Idèò sanctissimus Dominus Noster mandavit, ut in Rota videretur, an constet de valida electione, quæ veniat confirmanda; & resolutio penderet principaliter ex eo, an fuerit servata forma *c. quia propter. 42. de elect.* quod habet locum in electione etiam Abbatum, ut colligitur ex dicto *text. in verbo. Ecclesia viduata. iuncto text. in c. ne pro defectu. 41. tit. eod. & in c. indemnitatibus. 43. §. sanè. cum §. §. seq. de elect. in 6. 10. And. in d. c. quia propter. num. 59. ubi de communi. Bellam. ibid. num. 3. in princ. Imol. n. 3. ubi de communi. Rot. decis. 5. in princ. iuncto. n. 2. de elect. in nov. cum pluribus allegatis in causa Meten. Monasterij. 5. Julij 1621 coram me. quibus potest addi Cucch. in sit. maior. lib. 4. tit. de elect. n. 279. in fin. Canis. de elect. §. & hac de Episc. Iodoc. Lorich. in thesaur. utriusque Theolog. in verb. electio in forma scrutinij. vers. octavo hæc forma. Et forma, quæ traditur in d. c. quia propter. est præcisè servanda, cum habeat decretum irritans, ibi, *electio aliter facta non valeat*, quæ verba dictum decretum important. *l. non dubium. C. de legit. l. stipulatio. ff. de verbor. oblig. 10. Salas de leg. q. 96. tract. 14. disput. 16. sect. 11. n. 29. Alex. conf. 47. num. 13. & 14. lib. 5. Socin. sen. conf. 87. n. 6. vers. confirmatur. lib. 3. Ias. conf. 85. n. 8. & 9. lib. 3. & in puncto d. c. quia propter. dicunt glos. & DD. in d. Meten.**

An electio
Abbatis
non servata
formâ
c. quia
propter.
valeat?

Meten. allegat. Compost. n. 20. vers. nunquid de ista. Io. Andr. n. 37. in verb. non valeat. Innoc. n. 6. eodem verbo. Gulielm. Mandagst. de elect. c. 22. Roman. conf. 332. n. 12.

Resolvi-
tur nega-
tivè.

II. Et Domini negotio maturè discussò, cùm una tantùm pars informaret, censuerunt non constare de valida electione, quæ debeat confirmari. Cùm enim in *d. c. quia propter*. dentur tres formulæ electionis, per *scrutinium* scilicet, *compromissum*, & *quasi inspirationem*, quæ ultima verè non est formula, ut notant DD. *ibidem*. & fuerit electa forma *scrutinij*, non fuit servata forma in *d. c. quia propter*. præscripta. Primò, quia ibi disponitur, quod assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in hoc casu fuerunt assumpti tres quidem de Collegio, & tres extra Collegium; unde electio in duobus peccat, ac proinde remanet nulla. Primò, quia fuerunt electi sex, & tamen non debent esse plures quàm tres. Secundò, quia fuerunt electi tres extra Collegium, utrumque enim est contra formam substantialem illius *c. quia propter*. ut probatur ex *text. claro in c. Ecclesia vestra. il. 2. 57. §. denique. de elect.* Vbi est expressum, quod clausula illa posita in *d. c. quia propter*. dum post requisita ad electionem legitimè faciendam subiungitur, *electio aliter facta non valeat &c.* refertur ad ea omnia quæ attentantur contra formam electionis repertam solùm à *d. c. quia propter*. in Concilio generali, non autem ad alia ibi narrata, quæ ad electionem faciendam reperta sunt ab alijs etiam Canonibus, quibus tamen omissis, illi Canones non invalidant electionem; hoc verò, quod scilicet tres de Collegio, & non plures debeant esse scrutatores, statutum est solummodo ab ipso Concilio generali in *d. c. quia propter*. non autem ab alio Canone: igitur electio omisâ istâ formâ, est nulla, cùm illa clausula *aliàs electio facta non valeat*, posita in fine *d. c.* ad dictam formulam à Concilio generali introductam referatur; ut bene dictum *text. in c. Ecclesia vestra*. ponderat *Roman. conf. 332. n. 12.* ad quod nullus alius, quem ego viderim, animadvertit.

Nec plures
debent esse
scrutato-
res, quàm
tres.

III. Et quod etiam scrutatores debeant esse tres, & non plures, aliàs electio non valeat, est communis & indubitata sententia, *Abb. in d. c. quia propter. n. 13. vers. tertium substantiale. ubi de communi. Imol. n. 7. Innoc. n. 4. Bald. n. 31. Io. Andr. n. 9. vers. assumantur*, dum vult, quod substantialem *c. quia propter*. incipiant à verbo *assumantur* *Butr. n. 22. vers. dicitur sextò. Hostien. in sum. §. qualiter facienda. vers. sed verba Concilij. Bais. de elect. p. 3. c. 23. ubi de communi. Bertrand. conf. 187. n. 1. ubi etiam de communi.* & quod ab hac opinione non sit recedendum in consulendo, neque iudicando, *Rebuff. super Concord. in tit. de reg. ad Pralat. nomin. facien. §. ult. verb. formam. vers. tres. ubi de communi. Franc. Marc. decis. 1201. ubi pariter de communi. Ioan. de Fri- burg. in sum. tit. de elect. q. 7. col. 2. vers. assumantur. Sylvest. in sum. verb. elect*

2. n. 12

2. n. 12. vers. tertium de communi Ang. in sum. eod. verb. n. 26. Tabien. in verb. elect. 1. n. 20. vers. secundum quod. Rosell. eod. verb. col. 5. vers. quot sunt formæ. Azor. In-
stit. moral. p. 2. lib. 6. c. 14. col. 7. vers. undecimò quaritur. Rodrig. in Sum. c. 2. de
elect. col. 3. ubi de communi aliàs cap. 102. Iodoc Lorich. in thesau. utriusque Theo-
log. in verb. electio. in forma prima Scrutini. vers. secundò ut ipsi eligant. & ratio
hujus sententiæ est, ut tres faciliùs conveniant, & fideliùs negotium tra-
ctent. Hostien. in sum. Petr. de Bais. Butr. & Bertrand. locis jam allegatis.

IV. Et quod etiam dicti tres Scrutatores debeant esse de Collegio, *Et quidem
de Collegio.*
aliàs electio sit nulla, est pariter communis opinio. Abb. in d. c. quia propter.
n. 13. vers. quartum substantiale. Imol. n. 8. ubi de communi. 10. Andr. n. 11. Butr.
n. 22. vers. dicitur septimò. Hostien. n. 25. & 43. Card. n. 3. q. 12. Compost. n. 5 in fin.
vers. de Collegio. Anchar. col. 2. vers. circa hoc. Goffred. in sum. de elect. n. 7. Hostien.
in sum. eod. tit. §. qualiter faciendâ. col. 4. vers. de Collegio. Roman. conf. 312. n. 12.
ubi de communi. Rebuff. loco præfato, vers. quartò requiritur. Bais. de elect. part. 3. c.
24. Franc. Marc. d. decis. 1201. in fin. Sylvest. in sum. Ang. 10. de Fridburg. Tabien. Ro-
sell. Azor. Iodoc. Lorich. locis suprà allegatis. Et ratio hujus dicti est, quia præ-
sumitur eos, qui sunt de Collegio, fideliùs tractaturos electionem, & non
est honestum, ut qui sunt extra Collegium, sciant conscientiam illorum
de Collegio. Hostien. Imol. Bais. & Rebuff. suprà citatis locis.

V. Et quamvis secundum aliquos substantialia formæ c. quia propter. *Explicatur
dictum
c. quia
propter.*
non incipiant à verbis illis assumantur tres de Collegio, sed à verbis im-
mediatè sequentibus, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter ex-
quirant, prout gloss. in d. c. quia propter. in verb. sanior. in fine. & fuit opinio
Vincentii. & Tancredi. Mandagot. de elect. c. 23. in verb. irritari. ubi, quod in
Curia fuit confirmata electio Abbatis Tullen. licet in ea fuerint electi sex
Scrutatores, tres scilicet de Collegio, & tres extra Collegium, quem etiam
refert Card. in d. c. quia propter. n. 13. q. 12. vers. Et juxta Mandagotum. & hanc
opinionem esse in Curia receptam dicunt, licet ipsi contrarium expres-
sè teneant, Hostien. in sum. de elect. §. qualiter faciendâ. col. 4. vers. assumendo.
Goffr. in sum. n. 7. 10. de Fridburg. in sum. tit. de elect. q. 7. col. 2. vers. assumantur.
Ioan. Andr. in d. c. quia propter. n. 9. in verb. assumantur. Prædicta tamen opi-
nio Glossæ non est vera, ut patet ex supradictis, & bene dicunt DD. modò
allegati, neque probatur, quod sit recepta in Curia, quia non est creden-
dum Doctori de receptione attestanti, prout nec creditur de consuetu-
dine attestanti. Mohed. decis. 2. & 3. de consuetud. & est ratio, quia consuetu-
do est quid facti, & quod tunc fuit, potest hodie non esse: per quam ra-
tionem semper meo tempore Rota reprobavit opinionem illorum, qui
tenent, quod credatur Doctori testanti de consuetudine, quando est ver-
satus in illo foro. Eoq; magis non est credendum dictis Doctores,
quia hoc dictum non videtur congruum, cum fere omnes prædicti Do-
ctores

Electores videantur moveri ex prædicta confirmatione electionis, in qua fuerunt adhibiti sex scrutatores, quæ quidem electio, ut rectè Rota advertit in *d. causa Meten. Monasterii. 5. Julii. 1621.* per summum Pontificem potuit confirmari ex gratia, non autem ex eo, quod electionem censuerit validam; nec prædicta electio adhibitis sex scrutatoribus potuit sustineri, prout nec ista, ex regula, quod utile per inutile non vitiatur *c. utile. de reg. jur. in 6.* quia ista regula non habet locum, quando aliquid inducitur pro forma substantiali, prout est, quod tres tantum eligantur scrutatores de Collegio, quia cum forma sit individua, utile per inutile vitiatur. *Dec. conf. 532. n. 5. Mandos. de communi. reg. 27. q. 24. n. 10. Matien. in l. 1. tit. 4. lib. 5. gloss. 4. n. 9. Becc. conf. 12. n. 30. Guttier. canon. qq. lib. 2. c. 15. n. 11. 4. Rota decis. 472. n. 9. par. 1. & in terminis electionis Roman. conf. 66. n. 2. usque ad finem.* ubi, quod stante statuto, ut electio fiat ad annum, & non ultra, & si contra fiat, sit nulla: electio facta per triennium est nulla in totum, quia illa verba dant formam electioni, quæ facit eam individua. & ibi Add. in litera C. quem sequitur Alciat. in l. 1. §. sed si mihi. n. 13. ff. de verb. oblig. & Garz. de beneficio. part. 2. c. 1. n. 59. & optimè ad rem idem Alciat. loco cit. n. 11. & 12. ubi ex *c. Massana. de elect.* dicit, quod si interveniant in electione Laici, & Clerici, electio est nulla in totum, ea ratione, quia non est servata forma, cum lex de forma introduxerit, ut Laici non interveniant in electionibus, ut tenent Card. & Imol. in *d. c. Massana.*

Nec suffragatur
contraria
consuetudo.

VI. Neque prædictis resistit, quod de consuetudine potest introduci, ut aliqui extra Collegium interveniant in electione, *Specul. de elect. §. 1. n. 12. Card. in c. quia propter. q. 12. in princ. Bertach. de Episc. lib. 1. part. 3. q. 5. n. 4.* quem refert, & sequitur Boer. ad Mandagor. de elect. c. 23. lit. R. vers. adde, quales possunt eligi scrutatores. Card. & Specul. ubi supra. Quia quicquid sit de hac opinione, procedit, quando illi extra Collegium de consuetudine legitime præscripta habent vocem; tunc enim, ut considerat Cardin. loco prædicto, hi dicuntur de Collegio eligentium. In proposito autem nullibi probatur, quod tres scrutatores extra de consuetudine debeant interesse electioni, & si probaretur ista consuetudo, non relevaret, quia aperte constat, quod hi ex consuetudine non sunt de Collegio eligentium, cum in electione vocem minimè dederint. Si verò prætendatur, quod de consuetudine possint eligi sex scrutatores, tres de Collegio, & tres extra Collegium; hoc etiam probato, nihil efficeret; quia esset consuetudo contra dispositionem *d. c. quia propter*; quod cum habeat decretum irritans, tollit omnem consuetudinem in contrarium, ut in puncto illius text. dicit Boer. decis. 1. n. 49. & 50. & hoc est regulare in omni lege, & canone habente decretum irritans *c. quod super his. 5. in fin. de consanguin. & affinit. c. super eo. 2. in princip. de cognat. Spirit. Covar. par. 4. c. 6. §. 10. num. 35. & seq. Lriedan. de Liber. Christian.*

Christian. lib. 1. c. 16. col. ult. vers. Et hinc jam consideranda. & confirmatur, quia lex irritans facit personam incapacem, quando circa illam versatur, & consuetudo non potest tollere incapacitatem, Dec. in c. novit. de judic. n. 84. Felin. & Aym. quos allegat. Suar. de legibus. lib. 7. c. 19. num. 13. in fin. & quavis ipse n. 14. hanc sententiam non probet, dum tenet, quod lex irritans aliquâ ratione honestâ possit esse abrogabilis per consuetudinem; tamen quicquid sit de hac opinione, quatenus etiam esset vera, in casu isto nihil prodesset, quia ut idem Suarez declarat n. 16. & 17. procederet, si universaliter in toto orbe per consuetudinem contrariam cum requisitis lex esset abrogata, quod in casu isto videtur improbable; secus autem, quando in certo loco servatur contra id, quod in lege habente decretum irritans disponitur; ista enim est præscriptio, quæ introduci non potest, obstante decreto irritanti, quia cum lex generaliter non sit abrogata, remanet in suo robore; neque hinc repetendum est, quod aliàs dicebatur in d. causa Meten. coram me, quod videlicet non agatur de præscribenda lege, sed communi Doctorum sententia, quia imò de præscribenda lege agitur; nam licet aliqui DD. interpretentur substantialia c. quia propter. incipere ibi, qui secretè inquirant. nihilominus communis intellectus illius text. est, quod substantialia incipiant à verbo assumantur, & hoc in aliis juribus declaratur, scilicet in d. c. Ecclesia vestra. il. 2. 57. de elect. ut supra relatum est: & sic agitur de præscribendo contra jus, non autem contra communem sententiam, quæ communis sententia versatur solum circa interpretationem illius text. Suarez de legibus. lib. 6. c. 1. n. 5. vers. de hac igitur interpretatione.

VII. Secundò principaliter constat de nullitate electionis, quia dicti tres Scrutatores extra Collegium scrutati sunt votum Fratris Antonii primi Scrutatoris de Collegio, & secundo loco præsentem dicto Antonio, votum Matthie secundi Scrutatoris, ac tertio loco præsentem Antonio & Matthie, votum Valentini tertii Scrutatoris; unde Scrutatio Antonii & Matthie corrui, quia etsi aliqui velint, quod eligatur quartus Scrutator, qui unâ cum Notario scrutetur Scrutatores; rectius tamen & communiter servatur, quod duo ex eis tertium scrutentur; & sic duo ex Scrutatoribus debebant Antonium scrutari, & duo Matthiam, quod minimè servatum fuit, ita Abb. d. c. quia propter. n. 9. vers. quartò quaritur. Innoc. in verb. cunctorum. num. 6. Hostien. num. 43. vers. sed quis inquiret. 10. Andr. n. 18. Butr. n. 26. Compostell. n. 6. Bais. de elect. part. 3. c. 26. n. 8. 10. Fridburg. in sum. de elect. q. 7. col. 2. ante fin. vers. Et puto. Rosell. in sum. verb. electio. 1. col. 5. vers. quot sunt. Rodrig. qq. reg. tom. 2. q. 52. art. 3. vers. in princ. & sic non fuit servata forma c. quia propter. quia modus prædictus scrutandi est secundum formam d. text. ibi, vota singulorum diligenter exquirant, Hostien. in d. c. quia propter. num. 3.

Duo Scrutatores debent tertium scrutari.

in verb. cunctorum. & sufficit quod forma deficiat in his duobus votis, cum satis esset, quod etiam in uno non fuisset servata, ut electio corrueret, ut fuit opinio Vincentii, quem refert & sequitur Bellam. in d. c. quia propter. §. nisi forte. vers. Tertio quero. Et ratio est, quia in parte relinquitur forma, quæ est indivisibilis Garz. de benef. part. 5. c. 4. n. 148. qui loquitur, quando etiam defectus est in uno voto; & quod magis est, nec ille unus, in quo notatur defectus, potest postea assentire, quia cum electio fuerit nulla, non potest ratificari. Compostell in d. c. quia propter. n. 29. Bellam. loco citato.

*Ismet
autem ex-
quirere vo-
ta eligen-
tium.*

VIII. Tertio principaliter electio fuit nulla, quia ipsi Scrutatores extra Collegium scrutati sunt, solum assidentibus Scrutatoribus de Collegio, ut patet ex instrumento confirmationis transmissio Sanctissimo D. N. in quo sic habetur, Petrus Abbas Epternacen. Suffraganeus Treviren. & Abbas ad S. Matthiam (qui sunt Scrutatores electi extra Collegium) in presentia Notarii inscripti, primo votum Fratris Antonii Scrutatoris, deinde in presentia iam dicti Antonii votum Matthie Scrutatoris, tertio ipso quoque Matthia presente votum Valentini, qui sunt tres Scrutatores electi de Collegio: & postea sublequitur, assidentibus iam dictis Scrutatoribus, Venerabilis Patris Michaelis Prioris, & postea singulorum in ordine sequentium vota prestita, ab utroquoque primitus iuramento consueto prestito, inquisiverunt, audiverunt, & exceperunt, &c. Et sic Scrutatores extra Collegium sunt illi, qui scrutati sunt vota, assidentibus solum scrutatoribus de Collegio, atque ita contra formam c. quia propter. ubi expresse disponitur, quod tres Scrutatores de Collegio vota omnium diligenter exquirant, quod verbum exquirant importat, ut ex se, & proprio ore exquirant; imò adhibitis quibuidam verbis adhortatoriis, quæ tamen non possunt dici de substantia, prout de substantia est, quod ipsi exquirant, specul. de elect. §. 1. n. 17. quem sequuntur Bertach. de Episc. lib. 2. p. 1. n. 2. Butr. in c. quia propter. n. 25. Abb. n. 5. vers. nota tertio. Hostien. n. 39. Innoc. n. 6. quod non fecerunt Scrutatores de Collegio. Aliud nempe est facere, aliud assidere, l. 1. ff. de offic. Assess. & aliud est facere, aliud est esse presentem actui per alium explicato, Bart. in l. omnium. n. 5. per illum text. & ibi Bald. n. 9. Alex. n. 9. Bart. in l. Modestinus. n. 3. ff. de donat. Bald. in l. illud. sub n. 4. C. de Sac. Eccles.

*Quæ dan-
da sunt
scripto.*

IX. Quarta etiam principalis nullitas ex verbis supra ponderatis resultat, quia ut ex illis patet, vota non fuerunt redacta in scriptis, contra formam text. in d. c. quia propter. ibi, & in scriptis redacta. Abb. ibidem. num. 6. Butr. n. 27. 10. Andr. n. 19. Hostien. n. 31. ubi ait expresse, quod aliter non servatur forma. Innoc. n. 6. Imol. n. 5. in fin. vers. in gloss. redacta. Vbi, quod hoc requiritur, quia melius constat de voto per scripturam, hoc est, ne memoria Scrutatorum pereat. Innoc. ibid. Anchar. ante num. 1. Baif. de elect. part. 3. c. 28. num. 1. & seq. Mirand. in Manual. Pralat. regul. tom. 2. q. 23. art. 16.

X. Quinta

X. Quinta adest nullitas, quia vota in scriptis redacta publicari debent in communi, ut habetur in *d. c. quia propter*, & hoc est etiam substantiale, in præfenti autem fuit publicata solum electio, non autem vota, ut in instrumento, ibi, *inquisitis itaque, collectis, & collatis singulorum votis, Suffragiis & voluntatibus, nos omnes rursus in unum, ac in locum capitularem convocati, atque pro publicatione novi Abbatis & Pastoris instantes, per sapedictum Dominum Presidentem expresse rogati, num factam per nos electionem ratam, firmamq; haberemus, consentientes in Abbatem & Pastorem nostri Monasterii, & Conventus Venerabilem Patrem & c. Pium, & c. publicari & proclamari fecimus, prout idē D. Præfidentem Dominum electum altā & intelligibili voce proclamavit, publicavitq; & c.* Vnde cum fuerit publicata tantum electio, non autem vota, electio fuit nulla, *Hofstien. in d. c. quia propter. n. 44. vers. quintum est. 10. Andr. n. 28. vers. non d. Anchar. & Butr. eod. vers. Baif. d. par. 3. c. 29. in princ. Mirand loco prædicto.* Neque dicatur, quod electio fuit unanimis, & propterea non erat necessaria publicatio votorum, cum non esset facienda collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, vel zeli ad zelum, *Abb. in d. c. quia propter. n. 10.* quia respondetur, quod ex tenore narratæ electionis constat vota non fuisse publicata, sed solum electionem. Et quamvis in petitione confirmationis dicatur, quod electio fuit unanimis, hæc est simplex enunciativa, & si modò constaret, quod fuisset unanimis, non relevaret, dum non constat fuisse publicatam, cum vota semper publicanda sint; licet enim, ut supra dictum est, quando electio est unanimis, non sit facienda collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, vel zeli ad zelum, debet tamen fieri collatio numeri, meriti, & zeli, *Abb. in d. c. quia propter. num. 10. vers. si unus.* vel saltem est facienda collatio numeri, aliàs esset in arbitrio scrutatorum pronunciare, quem mallent, & hoc bene requiritur, prout etiam quando quis eligitur à duabus partibus, quo casu, licet non fiat collatio meriti & zeli, *c. si quando. 9. de elect. in 6. Abbas d. num. 10. vers. nam maioritas. Franc. Marc. decis. 924. ante num. 6. lib. 1.* nihilominus fit collatio numeri, licet non ad numerum.

XI. Non obstat, quod Monasterium sit Ordinis S. Benedicti, & in dicta electione dicatur, *& lecto capitulo ex Regula de eligendo Abbate & c.* quod est *cap. 64.* ex quo forsan posset prætendi, quod electio facta, iuxta dictam Regulam sustineatur, quia, ut advertit *Turrecrem. trac. 38.* illud caput habet duas partes principales, in prima agitur de ipsa electione, in secunda de qualitate ipsius electi; & circa primam partem tres ponuntur electionum differentiæ. *Prima est, si tota Congregatio in timore Domini concors fuerit in eligendo. Secunda, si parva pars Congregationis, meliori tamen consilio freta eligeret aliquem. Tertia, si tota Congregatio per-*

Es pubh-
anda.

Nec his
contraria
Regula
Ordinis
obstat.

versâ intentione corrupta aliquem elegerit. Primam & secundam approbat; tertiam verò reprobatur, & hoc est, quod disponitur etiam postea in *d. c. quia propter*. ut supra relat. um est; circa modum autem eligendi, Regula nihil disponit, & si disponderet, non relevaret, quia licet verum sit, quod quando habenti facultatem datur certa forma, illâ non servatâ actus tenet, licet contraveniens possit puniri; secus tamen est, quando illa forma habet decretum irritans, vel perpetuam prohibitionem, prout in casu isto. Nam cum Regula *S. Benedicti* sit anterior, supervenit Constitutio Concilii Generalis, de qua in *d. c. quia propter*. quæ dat formam certam cum decreto irritanti: ergò quod fit in contrarium, est nullum, ut distinguendo dicunt *gloss. in Clement. 1. in verb. inhibentes. de iure patron. ubi Imol. n. 3. & 4. vicelin. n. 13. Anchar. in c. Statutum. § fin. per tot. de rescript. in 6. & in Clement. 1. n. 11. versic. Et hoc enim videtur. de Sequestr. poss. & fruct. Felin. in c. ex parte. limit. 2. de constit. Abb. consil. 91. col. 3. n. 6. vers. ad prædicta induco. lib. 1. & 7. 5. Augerio n. 6. vers. secundo probatur. Apostill. ad Roman. conf. 236. n. 8. in verb. singularis. Suarez de Legibus. lib. 5. c. 31. n. 10. ubi materiam exornat. Io. de Salas de Legibus. q. 96. tract. 1. 4. disput. 16. Sect. 8. n. 33. Sa in summa verb. lex. n. 13. & ista est communis opinio, ut per Brun. de forma. tit. de potestate & effectu formæ. & solemnitate in ult. effect. in 6. limit. fol. 57. col. 1. vers. sexto prædicta regula.*

*Licet Ab-
bas sit re-
gularis.*

XII. Neque etiam obstat, si dicatur, quod ubi agitur de electione Abbatis Regularis, sufficit, quod electio fiat per vota secreta iuxta Concilium Trident. sess. 25. c. 6. de Regular. Quia fuit responsum, quod aut Concilium loquitur de Abbatibus temporalibus, prout innuunt illa verba, in electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum officialium &c. & super dispositione Concilii non est insistendum: aut loquitur de Abbatibus perpetuis, & eò magis electio est nulla, quia Concilium non derogat dispositioni *d. c. quia propter*. ut per *Rodrig. in sum. cap. 1. alias 102. n. 2. & 3. de elect.* & fuit dictum coram me in dicta *Meten. Monasterii* solum addidit, quod nedum vota sint secreta, sed ita & taliter, ut nunquam eligentium nomina publicentur: unde si erat servanda forma *c. quia propter*. dispositio Concilii nedum non obstat, sed operatur, ut eò magis electio sit nulla, cum eligentium nomina nunquam publicari debeant: ex quo fuit, cum fuerint electi tres Scrutatores ex Collegio, & tres extra Collegium, electio non remanserit secreta, quod certè non esset dicendum, si tres tantum de Collegio electi fuissent, *Rodrig. loco allegato. num. 3.* Et censuit Congregatio Illustriss. interpretum, quam refert *Garz. de benef. par. 5. c. 4. n. 189.* ubi, quod electio est nulla, si aliquis ex electoribus unam schedulam tantum unico nomine scriptam recipit de manu Scribæ, vel duas recipit, & aliam scindit, quam

declarat.

deklarationem refert idem Garz. in d. n. 189. Sic in proposito tres scrutatores extra Collegium sciunt votum eligentis, unde illud possunt revelare, & intrat nullitas electionis per rationem deklarationis præfatæ, cum Concilium habeat decretum irritans verbis claris, quod inficit titulum & possessionem. Et quamvis Navar. conf. 9. de elect. & Rodriq. loco prædicto. n. 4. & qq. regul. tom. 2. q. 52. art. 9. teneat, quod electio sustineatur, quando votum alteri ostenditur sine culpa Capituli, tamen quicquid sit de hoc, in casu isto culpa Capituli votum non est secretum, cum admiserit tres scrutatores extra Collegium; neque etiam sustineri potest electio, ex quo Navar. post Innoc. & alios afferat loco citato, quod si adsit consensus, etiam non servata forma, electio teneat, quia loquitur in foro conscientie; nam in foro fori indubitatum est, electionem esse nullam, quia summus Pontifex potest consensum eligentium non solemniter præstitum invalidate. c. univ. de postul. Prælat. Abb. in c. quod sicut. in fin. de elect.

XIII. Neque facit, quod de prædictis solum constet ex instrumento, in quo Capitulum petit confirmationem, quia cum illud sit manu publicè scriptum, habeatq; sigillum & subscriptionem omnium eligentium, indubitatum est, quod probet, ut in puncto similis instrumenti dicunt Innoc. in c. innotuit. n. 3. de elect. 10. Andr. n. 20. Card. n. 7. vers. sexto quarto. Bellam. n. 20. vers. item dicit. Bursar. consil. 159. n. 15. lib. 2. & videtur facere tex. in c. Ecclesia vestra. il. 2. 57. & ibi. DD. de elect.

Electio
forma col-
ligatur ex
instrum-
to.

XIII. Tandem fuit consideratum, quod in omnem eventum electio non debet confirmari, cum non fuerit petita iuxta terminos c. cupientes. 16. de elect. in 6. & Concordata Germaniæ, & impedimeta quæ possent allegari non probantur; unde merito fuit resolutum in contumaciam alterius partis, non constare de valida electione, quæ debeat confirmari, neque etiam debere confirmari ex negligentia petitionis confirmationis. Et ita conclusum.

Ea etiam
iuxta Con-
cordata
Germaniæ
regula-
ri debet
ex c. cu-
pientes.
de elect.
in 6.

§. 5. Sequitur altera decisio prioris confirmatoria, coram eodem Coccino die 24. Januarii 1625. in qua per plura puncta tangentia canonicas Prælaturarum electiones, subtiliter resolvuntur.

Subiungit
ur altera
decisio Ro-
mæ

Veneris

Veneris 24. Ianuarij. 1625. coram eodem
D. Coccino.

Nullitates
electionis
ab non ser-
vata forma
nam c.
quia pro-
pter. liti-
us dedu-
cuntur.

N. I.



Ontra decisionem in hac causa factam, in qua fuit re-
solutum, electionem non sustineri, tria opponerentur.
Primum, quod non omnes nullitates oppositæ subsi-
sterent. *Secundum*, quod electores possent iuari con-
suetudine hoc modo eligendi. *Tertium*, quod in omnem eventum erat
ista electio per *compromissum cum Scrutinio mixtum*, & idè poterat
sustineri. His tamen non obstantibus, & causâ bis maturè discussâ, Do-
mini unanimi voto perstiterunt in resolutis. Nullitates enim in decisione
firmatæ subsistunt; nam cum fuerit actum per viam *Scrutini*, in pluribus
non fuit servata forma tradita in *c. quia propter. de elect.* *Primò*, quia fue-
runt electi tres Scrutatores extra Collegium, & tres de Collegio; & ta-
men numerus non potest augeri, nec sumi extra Collegium. *Secundò*,
quia Scrutatores extra Collegium scrutati sunt votum fratris *Antonii* pri-
mi Scrutatoris, & deinde præsentè dicto *Antonio*, votum *Matthia* secun-
di Scrutatoris, & demum præsentibus *Antonio & Matthia*, votum *Va-*
lentini tertij Scrutatoris: unde vota *Antonii & Matthia* corruunt.
Tertiò, exquisitio suffragiorum fuit facta à scrutatoribus solùm extra Col-
legium, assidentibus tantùm tribus Scrutoribus de Collegio. *Quartò*,
quia suffragia non fuerunt in scriptis redacta. *Quintò*, quia non fuerunt
publicata vota, sed tantùm electio, quæ idè corrumpit, ut in *c. quia pro-*
pter. de elect. & latè in alia decisione fuit dictum; ille enim *tex.* habet de-
cretum irritans, ut in *ead. decis.* fuit deductum, & probat *tex. in c. si cui.*
23. de elect. in 6. ibi decernens eas, si aliter fierent, non valere, & gloss. ibidè
dicit non valere ipso iure. Quare cum electio non fuerit canonica, S. D.
N. illam confirmare non tenetur, tam ex dispositione iuris communis, ut
in *c. quamquã. 18. de elect. in 6.* quod licet procedat in electione Episco-
patuum, habet tamen locum etiã in aliis beneficiis Sedi Apostolicæ immedia-
tè subjectis. *Roman. consil. 332. n. II. gloss. in d. c. quamquam. in figurat.*
cas. Quàm etiã vigore Concordatorum, ibi, & lapsò dicto tempore,
de quo scilicet in c. cupientes. 16. de elect. in 6. si non presentata, vel si minus
canonica presentata fuerint electiones, providebimus.

Ex com-
muni Do-
ctorum opi-
nionè.

II. Neque est insistendum in eo, quod plerique DD. circa prædictas
nullitates varient. Quia (ut fuit in prædicta decisione firmatum) omnes
nullitates deducuntur, ex quo secundùm communem DD. opinionem
sunt con-

sunt contra substantialia formæ *c. quia propter. de elect.* quæ communis opinio operatur, ut ita debeat intelligi *tex.* & si aliquid contrarium fiat, non sit contra communem sententiam DD. sed contra ipsum *textum*, quem communis schola ita interpretatur. *Suar. de Legibus. lib. 6. c. 1. n. 5. vers. de hac igitur interpretatione.* Nec ex verbo *exceperunt*, deduci potest, quod vota in scriptis fuerint recepta, cum non fuerit additum in scriptis, prout loquitur *Suet. Tranq. de Tito Principe Romano*, ibi, è pluribus comperi, notis quoque excipere velocissime solutum &c. & licet scriptores & Notarii vocentur exceptores in *§. deinde, ubi gloss. in verb. exceptorem. aurb. de defens. Civit.* & in *l. ex. eptores, ubi gloss. 1. C. de numer. actuar. lib. 12.* id tamen non concludit, quod dicendo *exceperunt*, in scriptis excepisse intelligendum sit: quid enim hoc verbum de per se positum importet, ipsi Grammatici bene discerniunt. Ad id verò, quod in *decis.* dicitur, nempe Scrutatores tantum extra Collegium vota exquisivisse, absidentibus iis de Collegio, quod est contra formam *c. quia propter.* dum respondebatur, quod sufficiat præsentia, & consensus ex *Innoc. in c. in Genesi. n. 5. de elect. & ex gloss. in c. sicut. in verb. per unum. de elect. in 6.* fuit replicatum, quod *gloss. Innoc. & alii alleg.* non loquantur in his terminis. Quidquid autem dicendum esset, an unus ex Scrutoribus possit tantum scribere, schedulasque recipere, illud certum est, quod omnes Scrutatores debent exquirere; hinc verò tres tantum Scrutatores extra Collegium exquisiverunt, Scrutoribus de Collegio absidentibus. Nec debuit allegari; quod decretum irritans in *d. c. quia propter.* appositum, referatur solummodo ad formulas electionum, ita ut prohibeat omnem aliam formam, quam *Scrutini, Compromissi & quasi per inspirationem*, non autem referatur ad solemnitates circa Scrutinium dispositas. Quia iste intellectus nedum est valde subtilis & novus; sed contra *tex. expressum in c. Ecclesia vestra. 57. §. denique. de elect. Roman. conf. 332. n. 12.* & contra alium *text. in c. si cui. 23. eod. tit. in 6.* ibi, *talis electio cum præter formas, quas generale Concilium servari statuit in electionibus celebrandis, decernens eas, si aliter fierent, non valere.*

III. Quantum attinet ad secundum caput, quod scilicet in hac electione fuerit servata forma consuetudinis huius Ecclesiæ, & idem non fuerit opus servari formam *c. quia propter.* cum lex per contrariam consuetudinem, etiam quod habeat decretum irritans, abrogetur *Suar. de Legibus. lib. 7. c. 19. n. 14.* Tres fuerunt datæ responsiones. *Prima*, illam consuetudinem non probari. *Secunda*, non suffragari, cum non adsit expressus Papæ consensus. *Tertia*, eò magis non suffragari, quia nec adest scientia Papæ. Quod non probeatur consuetudo satis patet; quia illa non inducitur, si variò modo fuit servatum, quia requiruntur uniformes, *Part. in*

Nec contra eam operatur ulla consuetudo.

D

l. 2. in

l. 2. in fin. princ. ff. solut. matrim. Dec. conf. 214. n. 2. vers. Secundo hoc idem. & per tot. & conf. 129. col. 2. Alex. conf. 5. lib. 5. & conf. 173. per tot. lib. 6. Roland. conf. 2. n. 118. & seq. lib. 1. & conf. 87. n. 53. lib. 2. & conf. 13. n. 18. & 20. ubi, quod nullus discrepat. lib. 4. Sym. conf. 96. n. 5. Rimin. Inn. conf. 264. n. 28. & 29. lib. 3. & conf. 265. n. 25. Et quando consuetudo est varia, quod non recedatur à iure communi. Nat. conf. 132. in fin. & conf. 309. n. 9. Roland. d. conf. 87. n. 53. lib. 2. Curt. Inn. conf. 260. n. 20. lib. 3. In proposito autem electiones, in quibus fit fundamentum, uniformes minimè sunt. In illa enim de anno 1502. sub Alex. VI. vota fuerunt redacta in scriptis, & tam Scrutatores de Collegio, quàm extra, suffragia exquisiverunt. In alia facta de anno 1514. sub Leone X. fuerunt electi tres Scrutatores de Collegio, & vota in scriptis redacta. In alia de anno 1525. sub Clem. VII. tres tantùm de Collegio Scrutatores fuerunt electi, & suffragia pariter redacta in scriptis. Sub Pio V. de anno 1565. tres etiam Scrutatores de Collegio tantùm fuerunt adhibiti. Sub Gregor. XIII. de anno 1581. suffragia fuerunt per Notarios scripta. quod est de iure permissum, gloss. in d. c. quia propter. in verb. redacta. sola enim quaestio est, an Laicus Notarius possit scribere, ut per Doctores ibidem. Vltima verò sanctæ mem. Greg. XV. de anno 1621. satis innuit, vota fuisse in scriptis redacta, cum in ea dicatur, quod in præsentia Notarii vota scrutata fuerunt. Fuit præterea ex abundantia consideratum, quod tempore Clem. VII. fuit electus Ioannes de Cellis, & non datur alia electio usque ad tempus Pij V. & tamen electiones intermedias affuisse non est ambigendum, cum sub Pio V. non fuerit facta electio per obitum dicti Ioannis, sed cuiusdam Petri, prout fuerunt etiam electiones intermedie inter Greg. XIII. & S. mem. Greg. XV. tempore enim illius fuit electus quidam Bernerus, & sub ultimo Gregorio fuit facta electio per obitum Nicolai, & sic non rectè deducitur status electionum. Fuit insuper ponderatum, quod in electione sub Alex. VI. fuit facta mentio electionum, de quibus in c. quia propter, & sub Pio V. dixerunt electores, quod volebant procedere per viam Scrutinii. Sub Greg. XIII. expressè etiam fuit dictum, quod ex tribus modis eligendi nimirum, per Scrutinium, per compromissum, & quasi per inspirationem, viam Scrutinii elegerunt. Et in postrema sub S. mem. Greg. XV. dicitur, quod viduata Ecclesiæ per viam Scrutinii intendebant providere. Ex quo igitur viam Scrutinii censuerunt eligendam, censendum est viam ordinariam elegisse, scilicet iuxta terminos c. quia propter. in rubr. de elect. n. 12. si verò d' etiam formam servare nescientes errarunt, non potest dici aliquam consuetudinem induxisse, quæ ex certa scientia, non ex errore debet induci, gloss. in c. fin. in verb. legitime. vers. item quod ex certa scientia & ibi etiam Abb. n. 12. de consuet. gl. vest. in

vest. in verb. consuetudo. q. 4. Tabien not. 7. n. 8. Medic. de Leg. part. 2. q.

41. n. 5.

IV. Secundò fuit principaliter responsum, quod ad inducendam consuetudinem contra Canones, requiratur scientia & expressus consensus Papæ, aliàs nunquam per contrariam consuetudinem lex abrogatur. Quia Summus Pontifex non habet potestatem à populo, sed immediatè à Deo; & idè non est populus, qui inducit consuetudinem contra Canones, sed auctoritas Papæ permittentis, *Abb. in c. fin. n. 8. in fin. de consuet. Salas de legibus. q. 97. trac. 14. disp. 19. sect. 6. n. 59. vers. hac sententia.* Quod in lege Civili secus est: nam lex Civilis tendit ad bonum publicum, & in utilitatem privatorum: unde si populus vult sibi præiudicium inferre, Principes ab eodem populo potestatem habentes non curant, *l. de quibus. vers. nam cum ipse. ff. de leg. 8. Thom. 1. 2. q. 47. art. 3. in resp. ad 3. Abb. in c. fin. n. 9. de consuet. Driedon de Libert. Christ. c. 11. ante fin.* Ius autem Canonicum principaliter intendit hominem in Deum dirigere, & venit ad bonum publicum Ecclesiasticum; & cum sit institutum à potestate spirituali, illa non potest in laicos cadere, *Abb. & Driedon. locis præcitatis.* Hinc ergò cum consensus Papæ operetur ad istam consuetudinem inducendam, requiritur illius certa scientia, ita ut non sufficiat error, ut dictum est, & insimul requiritur animus inducendi consuetudinem, *gloss. in d. c. fin. in verb. legitim. ubi Abb. n. 17. & facit rex. in l. 1. c. quæ sit long. consuet. Quare si consensus Papæ est ille, qui consuetudinem inducit, & etiam ad hunc effectum requiritur certa scientia, & voluntas inducendi consuetudinem, non potest deduci voluntas, nisi expressus consensus adsit; multa enim per patientiam tolerantur, quæ deducta in iudicio, exigente iustitiâ, toleranda non essent, ut dicit rex. in c. cum iam dudum. 18. in fin. de preben. quem in puncto allegat gloss. in §. leges. in verb. abrogata. distinct. 4. & ex istis rationibus convincitur Usq. ex part. 2. q. 97. disp. 177. c. 12. dum dicit nihil referre, quod Papa recipiat potestatem à Deo, & non à Populo, ut consensus eius tacitus non possit operari ad derogandum suæ legi: ut enim ex prædictis apparet, multum refert, quod Papa immediatè potestatem habeat à Deo. In hoc autem casu nedum non adest expressus consensus summorum Pontificum; sed nec etiam scientia, ut in tertia responsione ostendemus. Et quod requiratur nedum scientia, sed etiam expressus Papæ consensus ad inducendam consuetudinem contra Canones, etiam quantumque temporis spatium illa fuerit servata, tenent gloss. in d. §. leges. in verb. abrogate. dist. 4. Archid. in c. cum de benef. n. 2. circa med. vers. nam & ibi notat. de preb. in 6. ubi optimè dicit casum esse expressum in c. conse-*

Quæ contra sacros canones non potest introduci sine certa scientia & expresso Papæ consensu.

D 2

quens.

quens, & in c. nolite. 11. dist. c. facta 9. q. 3. & c. illud & c. ridiculum. 12. dist. 10. Andr. in d. c. cum de beneficio. post princ. Gemin. n. 6. Franc. n. 3. & 4. S. Antonin. in sum. part. 1. tit. 16. c. unnc 92. ante fin. vers. dicit autem Ioannes. Io. de Salas de legibus. q. 97. tract. 14. disput. 19. n. 62. in fin. quam sententiam sequuta fuit Rota in Romana observationis contractus 23. octobris 1551. coram Chisanen. relata apud Verall. decis. 204. n. 3. par. 3. & in Romana concordia S. Petri. 12. feb. 1610. coram Reverendissimo D. meo Cavalerio, nunc S. D. N. Datario. quæ eò magis de plano procedunt, cum c. quia propter habeat decretum irritans, ut considerant Archid. Io. Andr. Gemin. & Franc. locis prædictis. cui sententiæ consonat etiam dictum Goffr. & Innoc. in c. ad nostram in princ. de prob. ubi, lex quæ est contra ius commune, non debet servari, cum non sit inducta de certa scientia eius, cuius est condere & mutare legem, l. de quibus. ff. de legibus.

Quod fu-
sus proba-
tur.

V. Tertiò principaliter etiam fuit responsum, quod communis & indubitata conclusio est, legem Papæ non posse abrogari, saltem absque illius scientia, ut egregiè probat Driedon. delibere. Christ. d. lib. 1. cap. 2. in fin. Vasquez ad S. Thom. 1. 2. q. 97. & hanc opinionem ab omnibus teneri affirmat Petrus de Lorca ad 1. 2. S. Thom. in tit. de legibus disp. 29 in princ. & latè fuit deductum in d. causa Romana concordia S. Petri. Quæ scientia, ex qua arguitur consensus, hæc non adest, sed error, qui non sufficit ad inducendam consuetudinem, ut supra dictum est. Scientia enim summorum Pontificum, quæ deducitur ex confirmationibus non adest, cum electiones nullas confirmaverit absque certa scientia, Bar. in l. si constet. 12. n. 2. ff. de appel. ubi. quod per confirmationem non confirmatur electio invalida, nisi fieret ex certa scientia. Bal. in l. nominationes. 27. n. 2. vers. Tu dic. C. de appellat. ubi, quod confirmatio superioris non purgat vitium electionis, nisi Princeps confirmet ex plenitudine potestatis. Et loquitur in terminis electionis, in qua non fuit servata forma c. quia propter. Franc. Marc. decis. 227. n. 5. & 6. part. 1. Innoc. in c. cum dilecti. 31. n. 1. de elect. Alex. cons. 58. n. 8. l. b. 1. ubi, quod nec certa scientia præsumitur, nisi probetur. In proposito autem, siue dicamus verba confirmationum de per se importare, quod Papa ex certa scientia confirmaverit, siue non; nihilominus utcumque sit, veritas est, quod Summi Pontifices confirmaverint electiones tamquam canonicas, & verè non sint tales, cum in illis non fuerit insertus tenor; præsumuntur circumventi ab iis, quibus electiones examinaudas mandarunt, Felin. in c. cum à nobis. n. 3. de test. Ruin. cons. 41. n. 15. vers. secundum respondendum. lib. 1. Gabr. concl. 1. n. 42. & seq. de probat.

VI. Ne-

VI. Neque facit, quod quando intervenit consensus de iure naturali requisitus, electio dicatur canonica, *Innoc. in c. cum sicut. n. 7. Compostell. col. 6 in princ. num. 17. vers. item quero. de elect. Archid. in c. nullus. n. 2. eod. tit. Franc. Marc. decis. 1322. n. 1. in fin. part. 1.* & in dictis electionibus intervenit consensus de iure naturæ requisitus, & propterea tanquam canonice potuerunt confirmari, *Innoc. in d. c. quod sicut. n. 27. vers. circa primum. Io. Andr. n. 7. Bellam. n. 50.* Quia fuit responsum, electionem triplici modo dici canonicam. Largè, strictè & strictiùs; ut per *Gemin. in conf. 88. n. 4.* Strictiùs dicitur canonica electio, quando omnia interveniunt, quæ sunt de substantia & solemnitate: quæ si omittantur, electio est nulla, ut in *d. c. quia propter.* Strictè dicitur, quando servantur illa, quæ sunt de substantia: omissis tamen his, quæ pertinent ad solemnitatem, ut puta, vocatio absentium &c. & isto casu electio non est nulla, sed venit annullanda, ut in *c. quod sicut. 28. de elect.* Largè dicitur canonica, quando non sunt servata substantialia, nec alia solemnia requisita à iure positivo: sed habet tantùm validitatem iuris naturalis, ut quia scilicet habet consensum eligentiù, & ista de iure non est valida, ut in *d. c. quia propter.* & in *c. sicut 21. de elect. in 6.* Vbi autem appellat electiones canonicas, censendum est intellexisse de electionibus canonicis strictiori modo, cum iura tales approbent, & illud est proprium significatum, quod communiter iura recipiunt: dum enim dicunt canonicam, intelligunt de valida, ut patet in *c. postulastis. 7. in princ. de cleric. excomm ministr.* & à propria verborum significatione recedendum non est, *l. non aliter. ff. de Legat. 3. c. in nostra. 8. de iniur. & in c. propterea. 8. de verb. significat.* Ita egregiè *Gemin. d. conf. 88. n. 4. & bene Rebuff. in praxi. tit. canonica institutio qua dicatur,* ubi, quod solum illa dicitur canonica, quæ fit secundùm Canones, *c. cum olim. 7. de dolo. c. gravis. 15. de cens. c. unic. de etat. & qualitat. in 6.* nec potest dici canonica, quæ iure facta non sit, *c. 1. de elect.* Et si diceremus Summos Pontifices non ita sensisse electiones canonicas, confirmationes tanquam non factæ ex certa scientia corruerent, ut suprâ ostensum est.

Electioes
canonica
intelligun-
tur stri-
ctiori mo-
do.

VII. Neque debuit allegari, quod in Concordatis habeatur, Papam confirmaturum electiones canonicas, & Concordata debeant intelligi iuxta terminos Concilii Basileensis *Sess. 38. de elect. in quo fuit statutum,* quod electiones factæ ab omnibus, vel à maiori parte, etiam si reliqua electionis formam concernentia omissa fuerint, confirmari deberent. Nam ut plenè satisfiat huic prætensæ vanitati, & minùs dignæ, ut à Catholicis allegetur, Concordata continent: *Placet Nobis, quod in Metropolitanis & Cathedralibus, &c. & Monasteriis immediatè subiectis Sedi Apostolicae fiant electiones canonice, que ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus constitutum in Constitutione sel. recor. Nicolai Papæ III. que incipit, Cupientes.*

Et de ijs
loquuntur
Concorda-
ta Germa-
niæ.

pientes. expectabimus, & lapsa dicto tempore, si non presentata, vel si minus canonica presentata fuerint, providebimus. &c. & si canonica fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa, &c. de digniori & utiliori persona duxerimus providendum, &c. Huiusmodi Concordata, quod sint intelligenda de electionibus strictiori modo acceptis, hoc est, iuxta formam c. quia propter, dicit Henr. Canis. in annot. ad dd. concordata & probatur ex verbis illis, si presentata minus canonica fuerint, quæ verba sunt desumpta ex tex. in c. quanquam. 18. de elect. in 6. ubi minus canonicas appellat illas electiones, quæ fiunt contra formam Concilii Generalis, quæ est forma c. quia propter, ut notat gloss. ibidem. Et hæc satis probant omnia superius deducta ad interpretationem verbi canonicas, positi in confirmationibus. Et Aneas Syl. in eius epist. 338. Martino Mayer Archiepiscopi Moguntini Cancellario missa, data Romæ 12. Kalen. Octobris 1457. & sic statim post Concordata, videtur illa intelligere de electionibus canonicis, prout de iure communi: inquit enim, nulla electio reiecta est, quam constitit fuisse canonicam; Pontificali Ecclesia in Alemannia nulla reservata est specialiter s. D. N. contra Concordata vestra. &c.

Nec attē-
ditur Con-
cilium Ba-
sileense,
quod tum
non nisi
in conciliabu-
lum erat.

VIII. Et hoc posito, inanis etiam est præsentio, quod Concordata sint intelligenda iuxta determinationem Concilii Basileensis, quia licet illud in principio fuerit Oecumenicum, eo quod auctoritate summi Pontificis fuerit indictum sub Præsidio Iuliani Cardinalis Casarini, & prosequutum, donec illicitâ potestate usurpatâ, & in Pontificem Romanum omni iudicio & subiectione coactiva iure Divino exemptum, iudicium suum ipsi converterent, & Pontifex Legatum suum, omnesq; alios Episcopos avocaret. Quando verò post horum discessum, Synodus sub Præsidio Cardinalis Arelatensis continuata, invitoq; Pontifice prorogata est, non tantum Oecumenica, verum etiam Legitima Synodus esse desit. Nam eo tempore, quo Concilium in Pontificem sententiam pronuntiare ausum est, omnesq; præcipui Episcopi discesserant, & Cardinalis Arelaten. præsidendi sibi munus assumpserat, quia Episcopi paucissimi erant, introduxerunt in Synodum ingentem Presbyterorum multitudinem, ita ut contra omnem formam Conciliorum, non Episcoporum, sed Presbyterorum Synodus esset, ut Deus Opt. Max. sententiam suam dicere volens, tam horribili peste Basileam affligebat, ut maior pars eorum, qui remanserunt in conciliabulo, vel extincti, vel secedere coacti fuerint, ut refert Aen. Syl. in historia Concilii Basileen. cui ipse interfuit, quod Concilium in Concilio Lateranensi ultimo sub Iulio II. Sess. 4. & sub Leone X. Sess. 11. appellatur schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis; & S. mem. Eugenius IV. ad orationem habitam per Joannem Bachenstein & petitionem factam nomine Concilii Basileensis, inter alia, cum p. tere-
tur

tur observatio decreti de electionibus, præmissâ responsione, quod semper eius fuit intentionis invigilare in his, quæ honorem Dei, salutem animarum, ac bonum totius Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ concernerent, signanter ad extirpationem hæresum, reformationem morum, ac pacem populi Christiani: ad specialiter petita sic respondit: *Quantum autem ad negotium indulgentiarum, electionum, annatarum, causarum, & vacationum scriptorum & abbreviatorum Romana Curia: quia materiae grandes sunt, & discussione, & declaratione indigent, se unâ cum fratribus suis S. R. E. Cardinalibus decrevisse respondere per suos Concilio, quod quamprimum facere intendit, sperans responsiones suas tales esse debere, quæ iustitiæ & honestati convenient, ipsiq; Concilio, & omnibus piè sentientibus ad Dei honorem, charitatem & pacem, ac bonum universali Ecclesiæ grata & accepta merito sint futura.* Ita habetur tom. 4. part. 1. Concilior. Colonia impr. in append. fol. 177. & seq. & fol. 179. habetur prædicta responsio.

IX. Neque dici potest, Concordata esse intelligenda iuxta Concilium Basileense, ex quo *Nicolaus V.* qui Concordata fecit, decreta Concilii Basileensis confirmaverit, ut patet in eius Bulla, & refert *Aeneas Syl. & Golelin.* locis citatis. & ideo Concordata debent intelligi iuxta statuta Concilii Basileensis per eundem Pontificem confirmata: quia hoc est merum figmentum, cum Concordata habeant *Dat. Kalen. Aprilis. 1447.* Bulla autem habet *Datam sub 14. Kal. Julii 1449.* Et sic de tempore Concordatorum Bulla non erat in rerum natura. Veritas tamen est, quod *Nicolaus V.* non confirmavit decreta Concilii, sed pro bono pacis electiones factas in obedientia Concilii Basileensis, ut patet in prædicta Bulla, quæ habetur in d. tom. 4. p. 1. fol. 96. cuius hæc sunt verba formalia. *Nicolaus &c.* quascumque promotiones, electiones, confirmationes, postulationum admissiones, translationes, commendas, administrationes, provisiones, reservationes, uniones, incorporationes, revocationes, pallii donationes, consecrationes, personarum benedictiones, de ordine ad ordinem translationes, infeudationes, absolutiones, liberationes, quietationes super quibuscumque debitis ratione decimarum, indulgentiarum, annatarum, dispensationes tam super ætatis, quam natalium, & aliarum inhabilitatum defectus, &c. ac omnia & singula, tam iustitiam, quam gratiam concernentia, sive in foro conscientia, vel contentioso, in personis & locis, quæ tempore concessionis, & aliorum præmissorum obediverunt prædicto Venerabili ac Chariss. Fratri Nostro *Amodeo Card. Felici V.* nominato, ac congregatis (in Concilio Basileen.) aut alterius eorum auctoritate, etiam per Legatos de latere, seu delegatos ab eis potestatem habentes conjunctim vel divisim, qualitercumque facta, gesta, concessa, indulta, data, disposita & ordinata, etiamsi maiora aut graviora, aut alterius cuiuscumque natura à præmissis existant, & specialem requirentia expressionem, cum omnibus & singulis inde sequentis, ac etiam omnia & singula per Ordinarios in

Cuius decreta Nicolaus Papa V. simpliciter non præbavit.

dictis locis facta, pro bono pacis & unionis Ecclesie, motu proprio & ex certa scientia & Apostolica potestate plenitudine, de consensu Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, presentium serie approbamus, ratificamus, & confirmamus, rataq; & firma fieri volumus &c. Et quamvis prædicta clarissima sunt, potest tamen addi, quod si gesta Concilii Basileen. fuissent confirmata, frustra in Concilio Lateranen. sub Iulio II. & Leone X. Sess. 4. & 11. ut supra relatum est, illud fuisset appellatum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis; & incassum, dum in eodem Concilio Lateranen. improbantur acta Basileen. fuissent facta Concordata cum Rege Franciæ. Et *Aneas Sylv.* epist. 369. sub *Data Romæ 8. Augusti 1457.* scribens d. Martino Mayer Cancellario Archiepiscopi Moguntini, non dicit decreta Concilii fuisse confirmata, imò totum oppositum; siq; aliter diceret, falsum esset. Audiatur ipsemet loquens ibi: *Sed ut ad querelas tuas veniamus, dicimus tibi, dignum esse, ut compactata cum vestra Natione serventur &c. verum cum dicis decreta Concilii Basileen. non custodiri, idq; putas iniuriosum esse Nationi, indignam dicimus esse querelam tuam; propter decreta enim Basileen. Concilii, inter Sedem apostolicam & Nationem vestram disidium cepit: cum vos illa prorsus tenenda diceretis: Apostolica verò Sedes omnia rejiceret. Itaque fuit denique compositio facta (scilicet Concordata) in qua nos Imperatorio nomine interfuimus, eam certam legem dedit inviolabiliter observandam, per quam aliqua ex decretis Concilii prædicti recepta videntur, aliqua rejecta: hoc est, fuerunt facta Concordata, per quæ aliquid fuit concessum Nationi; non autem simpliciter dicit, quod per Concordata gesta in Concilio Basileen. fuerunt confirmata; & subditur: Itaque non iuste agis, si per omnia servanda esse decreta contendis, & sequitur ibidem, *Sed venio ad electiones, quas passim contemni refers. Hoc non invenimus ita esse, ut asseris: nam postquam ex Alemannia huc venimus, plures Ecclesie Cathedrales eiusdem Nationis vacaverunt, in quibus vel postulationes factæ, vel electiones fuere. De postulationibus nihil est, quod objici possit: nam illæ ex gratia pendent etiam vetusto iure, liberumq; est Pontifici Maximo eas admittere vel rejicere: electiones autem si canonice fuerint, compactatorum vigore confirmationem merentur, nec repelli possunt, nisi de utiliori persona Romanus Pontifex de consilio Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium duxerit providendum; sed neque hic est aliquid, quod reprehendi merito possit.* Et sic apparet quod refert tenorem Concordatorum, & intelligit de electionibus canonicis, prout de iure communi, non autem iuxta disposita in prædicto Conciliabulo, & subsequitur idem *Aneas*; de tempore dicimus, quo Romanam Curiam sequimur, neque enim (iam biennium tantum est, quod hic sumus) ulla electio huc allata est, quæ ritè & canonicè comperita sit; nam Traiectensis electio, de qua magni rumores habiti sunt, in personam excommunicati ceciderat: alia verò alios defectus habuere; & concludendo dicit:*

cit:

cit: Itaque vides non esse, cur vestra Natio circa electiones iustam querelam habeat &c.

X. Et non aduersatur idem *Æn. Syl.* sed favet in *Apolog. ad eundem Martinū Mayer. fol. 672. secundum parvā impressionem*: ibi enim recenset obitum Eugenii IV. & creationem Nicolai V. quodq; miserit legatum in Germaniā Ioannem Cardinalem S. Angelicorū quo inquit *disceptatum est. quoniam pacto Pontifici Nicolao parendū esset. erant. qui decreta Basileen. Concilii omnia suscipienda contenderent, illisq; salvis Pape obediendum. Contra Legatus Apostolicus eius Concilii legibus. quod Romana Sedes refutasset. nullam inesse vim aiebat: alii. quibus media sententia placebat, verum Basilea Concilium aliquando affirmabant. eiusq; temporis constitutiones haud quaquam rejiciendas esse putabant. Postremo eo modo concordie locus fuit, ut sententia quorundam decretorum Basileensis Concilii reciperetur: reliqua verò eius statuta reiecta viderentur. Hæc verba non sunt intelligenda, quod decreta Concilii fuerint approbata, sed quod in Concordatis aliquid fuerit conventum, prout dispositum fuerat in Concilio Basileensi; & quoad formam electionum, quod Concordata non sequantur disposita in Concilio Basileen. literis rotundis idem *Æneas* asserit ibi: *Sed pergis ulterius. & concordie formulam attingens, decretum super electionibus in Basilea promulgatum, tanquam receptum in conventionibus videatur, infringi, rejiciq; contendis; inexcusabilem esse Romanum Pontificem arbitraris. & prorsus iniustum, qui cunctis electionibus aduersetur, nec tolerabile hoc tuæ genti esse existimas. nec tibi responderi posse in hac parte confidis. Sed subsequitur prædictæ obiectioni talis responsio. Falleris haud modicè nostro iudicio, quemadmodum clarius tibi ostendemus; nam formula concordie, quæ respicit electiones, hunc sensum habet, illas enim in Ecclesiis Cathedralibus & ex Monasteriis expectari iubet per tempora, quæ sunt à iure statuta, easq; si canonicæ fuerint, confirmari, nisi Romanus Pontifex de persona quæ sit magis idonea electo. vacanti Ecclesie de Consilio Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium providendum duxerit. Et sic verbis, quibus nihil potest objici, dicit Concordata circa electiones non esse intelligenda, ut scilicet electiones subsistant, si iuxta tenorem Concilii Basileen. fiant; sed solum quod sustineantur, si secundum Canones factæ fuerint; & tamen recenset plures electiones, quas Summi Pontifices tanquam canonicas confirmarunt, alias verò tanquam minùs canonicas reiecerunt. Denique *Gobelin. in comm. Pii II. qui fuit idem Æneas Sylv.* ita in minoribus appellatus, *fol. 12. secundum magn. impress. & fol. 20. secundum parvam. vers. interea Ioannes. refert, quod Legati Romani missi retulerunt Eugenium durissimè respondisse, & quod Æneas Sylv. alias notulas composuit, quæ Eugenio mitterentur, ut verè postea Romam missæ fuerunt; sed hoc non tangit negotii veritatem, quæ clarè elucescit ex supra deductis.***

Sed quædam duntaxat in eo di. p. ca. & per Concordata Germaniæ conventa concessit.

In hac electione non intervenit compromissum cum Scrutinio mixtum, nec expressum.

XI. Quantum attinet ad tertium principaliter caput oppositum, nempe quod ista non fuerit facta electio simpliciter per Scrutinium, sed per compromissum cum Scrutinio mixtum, quæ forma eligendi est canonica. Puta, si ita compromissum sit, ut compromissarii ipsi exquirant vota singulorum, illomq; eligant, in quem maior & sanior pars consenserit, ut est Constitutio Innocentii III. de qua in c. cum dilectus. 32. de elect. quæ non fuit revocata per Constitutionem Alex. III. in Concilio Generali de anno 1215. de quo in dicto c. quia propter. ut declarat Bonifacius VIII. in c. cum expediat. 29. de elect. in 6. c. si cui. 27. eod. tit. Canon. in tit. de elect. §. de concurs. comprom. cum Scrutin. Bais. de elect. par. 3. c. 17. n. 4. vers. aliquando autem. Ceterum quod ista forma sit canonica non negatur, sed factum negatur; non enim fuit processum per viam compromissi cum Scrutinio mixti; quia compromissum aut sit expressum, aut tacite ex verbis inducitur, ut sentit Petr. de Bais. ad p. 3. c. 17. n. 1. in fin. de elect. & Specul. in rubr. eiusdem tituli n. 13. In hoc autem casu neutrum adest. Non expressum: quia congregato Capitulo, is, qui habet in Capitulo primam vocem, vel alius de mandato Capituli, seu quisvis etiam sine mandato, Capitulo tamen non contradicente, requirit primò singulos sigillatim, an placeat procedere hæc formâ compromissi; & omnibus consentientibus, ita ut nullus omninò discrepet, debet requirere eos iterum, quibusnam personis, & per quem modum velint eis committere vices suas, & omnibus de personis concordantibus & de modo; tunc omnes simul, vel unus nomine omnium in personas huiusmodi eligendas transferat potestatem, si verò Capitulum nolit in compromissarios convenire, possunt eo casu, ut citius ad concordiam deveniatur, uni vel pluribus, qui vice omnium eligant compromissarios, committere vices suas, ita Mandagot. de elect. part. 1. c. 39. Compostell. in c. quia propter. n. 26. vers. quero modo. & ibi Bellam. in §. vel saltem. n. 7. eod. tit. & de hoc debet confici publicum instrumentum. Specul. in tit. de elect. §. 2. in princ. Bertach. de Episcop. part. 1. lib. 3. q. 49. n. 93. idem specul. in c. de via compromiss. n. 4. & hoc casu quæstio est, ut per Bart. in l. institutio n. 3. ff. de cond. instit. an duo sint conficienda instrumenta, ut scilicet unum contineat: Nos eligimus, quem tales compromissarii nominabunt & alterum: Eligimus illum, quando tales compromissarii nominabunt, tamen idem Bart. concludit, quod licet de iure duo essent conficienda, de consuetudine contrarium servatur. Hanc autem formam hæc non fuisse servatam certum est, cum nihil tale legatur in instrumento S. D. N. transmissio.

Nec tacitum.

XII. Reliquum est, ut videatur, an adsit compromissum cum Scrutinio mixtum, saltem tacite. Abbas Richardotus fuit electus Præsidens Capituli, & ea quæ uti talis gessit, gessit in præsentia Abbatis Trevirensis & S. Matihæ;

S. Matthiæ ; fuerunt etiam electi tres Scrutatores de Collegio, quibus, & antenominatis Abbatibus fuit data & concessa omnis auctoritas & potestas secretò & sigillatim vota omnium & singulorum scrutandi; quapropter hi fuerunt electi Scrutatores, non compromissarii, ut scilicet eligerent per compromissum cum Scrutinio mixtum; ut enim superius firmatum est, debet dari facultas, ut compromissarii vota singulorum exquirant, illumq; eligant, in quem maior & sanior pars consenserit, *d. c. cum dilectus. 32. de elect.* quem ita explicat *gloss. in c. cum expediat. 29. quæ est prima, & incipit pro intellectu. de elect.* Et quamvis in dicto instrumento subdatur, & facta collatione numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum, fuit data potestas illum in Abbatem nominandi, & publicandi, in quem omnes, vel maior pars Capituli inveniretur consensisse Hæc tamen verba sunt intelligenda; ut scilicet Scrutatores possint nominare, hoc est, verbo pronunciare, seu proclamare & publicare electionem factam à Capitulo; non autem, quod ipsi tanquam compromissarii possint eligere; quia post electionem factam à Capitulo, electio pronuntiatur & publicatur, ut bene *Rebuff. super Concord. rubr. de reg. ad Prælat. nomin. §. ult. in verb. forma. in 13. 15. & 16. requis. fol. 230. & 231.* & tunc demum datâ facultate nominandi, censeretur data facultas etiam eligendi, si constat arbitros fuisse electos. Et in istis terminis procedit *tex. in c. cum in iure peritus. 33. de elect. ubi Hostien. n. 13. vers. sed quidquid dicat. lo. Andr. n. 8. Rebuff. in pract. de nomin. q. 1. n. 24.* hîc autem non fuerunt electi arbitri, sed Scrutatores, ut dictum est: & idè illa facultas nominandi debet quoad publicationem censeri, vel ad summum data ad electionem nomine Capituli faciendam; cum de substantia sit, ut unus nomine Capituli eligat, ut in *c. quia propter, & ibi DD.* quod clarius ex modo procedendi, de quo statim dicam, colligi potest.

XIII. Cessat denique omnis difficultas: quia in instrumento, quo petitur confirmatio, Capitulum his verbis loquitur: *Atque pro publicatione novi electi Abbatis & Pastoris instantes, per sepe dictum D. Præsidentem expresse rogati, num actam per nos electionem ratam firmamq; haberemus.* Ex qua serie apparet, quod Abbas non vocatur compromissarius, sed Præsidentis, & non agitur de electione facta à compromissariis, sed ab ipsomet Capitulo. Et quamvis in compromissis Capitulum censeatur eligere, quem arbitri nominabunt, *Compostell. in c. licet. n. 7. de elect. Hostien. n. 14. vers. utique quia ex compromissis.* hîc tamen Capitulum non loquitur de electione ipsius nomine facta à compromissariis, sed de electione ab ipsomet Capitulo facta, quod evidentius demonstratur; quia Capitulum proclamari & publicari fecit electionem per ipsum Præsidentem *Richardotum*; quod propriè convenit electioni per scrutinium: facta enim collatione, debet sequi communis electio per unum nomine Capituli per verba singularis

Quod è ex ipso electionis instrumentis patet.

numeri, ut in *c. cum ab uno. 4. de re iudic. in 6. c. sicut. 21. de elect. in 6. Franco. Marc. decis. 922. n. 2. lib. 1.* Et ita communis electio potest etiam fieri per extraneum, dummodò electores tacitè, vel expressè consentiant. *Bais. in direct. elect. part. 3. c. 33. n. 4. & seq.* Si igitur fuisset processum per viam compromissi, unus compromissarius omnium compromissariorum vice eligere debuisset, ut puta, dicendo, *Ego N compromissarius ex consensu & voluntate compromissariorum meorum eligo & c.* Hanc formam ponit *Mirand. in manual. Pralat. regul. par. 2. q. 33. art. 38. conclus. 2.* & bene adaptatur, quando pronuntiatio fit sine scriptis. *Mandagor. de elect. q. 59. form. 9.* ponit aliam, quæ idem in substantia continet; & subjicit opus esse, ut unus vice omnium eligat, alias electio est nulla. *Oldrad. cons. 184. in princ. Roman. cons. 216. n. 4. vers. quarta eiusdem nullitas.* In proposito autem neque expressè, neque per æquipollens verba possunt importare, quod *Præsident* tanquam compromissarius nomine aliorum compromissariorum elegerit.

Quin &
in compro-
missis ob-
servari de-
bent sub-
stantialia
Scrutinii.

XIV. Dato tamen, absque eo quod veritati præiudicetur, quod electio fuerit per compromissum cum Scrutinio mixtum, nec etiam sustinetur; licet enim ista dicatur melior, & expeditior forma, cum non omnes formam Scrutinii bene sciunt, ut ait *gloss. in c. cum expedit. 29. in verb. inquisitis. de elect. in 6. Mandagor. de elect. c. 41. in litera E.* Nihilominus isto casu non possunt omitti substantialia scrutinii, *c. si cui. 22. de elect. in 6. ubi* si fuerit actum, quod electio facta per compromissum cum Scrutinio mixtum, ut scilicet eligatur ille, in quem maior pars respectu numeri, non autem respectu totius Capituli consenserit, valeat, non tenet. Et *gloss. ibid.* exemplificat in verbo *secretò*, si fuerit actum, quod vota non sint secreta: quia semper habet locum ratio finalis illius *tex.* & merito hoc dicit; ex ea enim ratione *tex.* dicit electionem factam vigore compromissi non tenere, si actum fuit, ut eligatur nominatus à maiori parte respectu minoris, cum hoc sit præter formam, quam Generale Concilium servari statuit in electionibus celebrandis, decernens eas, si aliter fierent, non valere, & *gloss. ibid.* explicat ipso iure: & sic ista ratio militat, quotiescumque omittitur aliquod substantiale, de quo in *c. quia propter.* ut bene *Abb. in d. c. quia propter. §. vel saltem. n. 2. vers. non tamen. de elect.* ubi dicit, quod et si prædicta *gloss.* in *c. cum expedit.* hanc formam utiliore nomine, non tamen intelligas, quod compromittentes possint in aliquo tollere huius Capituli substantialia (scilicet *c. quia propter*) *Burr. in d. c. si cui. n. 5. in fin. de elect. in 6. Lap. Abb. n. 2. Canis. in sum. iur. Cano. tit. de elect. §. de cõkurs. Scrut. cõ compr.* & expressè sentiunt DD. mox allegandi, dum firmant, quod in electione per compromissum cum Scrutinio mixtum nõ requiratur collatio plena, sed aliqualis, cum forma compromissi non requirat illam de se, quam requirit forma Scrutinii: illa enim arctior, ista liberior, nec tenetur compromissarius ad

ad aliud, quàm ad id, quod in compromisso expressum est; quia non est necessaria collatio meriti ad meritum, zeli ad zelum, sed numeri tantum ad numerum, ut nimirum videatur, an adit maior pars totius Capituli, *Monach. in c. cum expediat. 29. n. 9. ad fin. vers. item quero. & n. 10. de elect. in 6. lo. Andr. in princ. Gemin. n. 3. vers. quero an ista forma. Compomstell. in c. in Genesi. 59. col. 3. vers. in forma verò compromissi. ubi abb. n. 2. in 4. notab. de elect. & in hoc ista forma compromissi cū Scrutinio mixti potest secundum dictam gloss. utilior appellari. In nostro casu autem omnes defectus considerati in forma meri Scrutinii, in hac etiam electione militarent: excepto tamen, quod non dicerentur adhibiti sex Scrutatores: quia tres primi extra Collegium compromissariorum nomine venirent; & alia nullitas posset addi, quod unus ex compromissariis nomine aliorum compromissariorum electionem minimè publicaverit. Et ex forma ipsius compromissi corrueret etiam electio; quia Scrutatores de Collegio non exquisiverunt suffragia, & illa non fuerunt redacta in scriptis, prout fuerat ordinatum in instrumento compromissi: quæ ommissio formæ viciat compromissum, cum forma data sit servanda, & illius verba debeant potius restringi, quàm ampliari, ut per DD. in illo c. cum expediat. loco citato. & bene Bald. cons. 101. nobiles viri. n. 8. vers. videtur concludendum. in fin. & cons. 103. lib. 3. in princ. Soc. cons. 20. in princip. lib. 1. ubi, quod est stricti iuris, & in ea veniunt solum ea, de quibus specialiter est dictum. Dyn. cons. 45. incip. Questio quæ vertitur. Et ita conclusum.*

§ 6. Hæc porrò forma electionis in d. c. quia propter. extenditur etiã ad dignitates maiores, & principales in Ecclesiis Collegiatis, quales in Germania sunt Præposituræ, uti mox dicemus, & patebit *infra hoc titulo & dubio. §. 10* ubi nimirum ex indulto Apostolico inferioribus ad easdem electio concessa est, uti Leodiensibus & aliis *infra §. 12. & 13.* adducendis; non autem ad dignitates inferiores, veluti Decanatus, & alias, prout decidit Rota Romana in causa *Decanatus S. Bartholomæi Leodiensis* *infra scriptis* decisionibus.

Eade forma electio nis servari debet in maioribus & principalibus dignitatibus.

DECISIONES ROTALES

In una Leodien. Decanatus.

PRIMA

Coram R. P. D. Manzanedo. Veneris.
26. Februarii 1627.Electio
Decanatus
valida de-
claratur.

N I.



Acante Decanatu Ecclesie Collegiate S. Bartho-
lomæi Leodien. Capitulum & Canonici dicte
Ecclesie in Decanum elegerunt D. Ioannem Sau-
neur, qui presentata electione Capitulo Cathe-
drali Leodensi, ab Episcopo petit confirmati-
onem illius, sed quia pro parte D. Ioannis Novi-
lia fuit oppositum de invaliditate electionis, ideò causâ in Rota intro-
ductâ, & mihi commissâ, dubitavi an constaret de illius validitate, & Do-
mini constare responderunt, & moti fuerunt ex eo, quod d. Ioannes Sau-
neur non solum habuit maiorem partem votorum respectu totius Capi-
tuli, prout requiritur ad effectum, ut quis dicatur canonicè electus à
maiori & saniori parte Capituli, ad text. in c. Ecclesia vestra. 48. de elect.
ubi Abb. n. 4. & cons. 25. n. 4. lib. 2. Franc. Marc. decis. 922. n. 3. lib. 1. Sed
etiâ habuit omnia vota, ut legitur in instrumento electionis, de quo in
summario d. Ioannis n. 1. unde negati non potest, quin appareat de vali-
ditate electionis, uti factâ à maiori parte Canonicorum, à Canonicis
congregatis more Collegii, ad trad. per Dec. in c. cum omnes. 18. in prima
lect. de constit.

Cui non
obstat c.
quia pro-
pter de e-
lect. ut po-
te in digni-
tatibus
inferiori-

II. Nec visum fuit Dominis obstat dispositionem text. in c. quia pro-
pter. 42. de elect. cum præscripta ibi forma procedat solum, & sibi locum
vendicet in electionibus Ecclesiarum, quæ per mortem Prælati vidu-
antur, ut notat ibi gloss. 1. & ibid. Abb. n. 7. vers. circa istam partem. &
vers. in hanc partem. ubi testatur de communi. Io. Andr. n. 6. Butr. n. 19.
Imol. n. 3. vers. sed non habet locum. Franc. Marc. decis. 924. n. 1. lib. 1.

Et in

Et in puncto, quod dicta forma non sit servanda in electione dignitatū inferiorum dicit *Abb. ubi supra. n. 7. vers. iste autem. Imol. d. n. 3. Franc. Marc. decis. 920. n. 3. & 4. lib. 1.* ex quo sequitur, quod licet Capitulum voluerit eligere per viam Scrutinii, non erat servanda in dicta electione forma d. c. quia propter. cum non agatur de prima dignitate Collegiatæ, ut constat ex litteris *Sixti V. ex fide Curialium, de quibus in dicto summa-rio Ioannis num. 2. & 3. Garcias de benef. par. 1. c. 6. n. 20.*

*hos locu-
no habens.*

III. Minus obstat, quod Scrutatores non publicaverint electionem iuxta præscriptam illis formam in Compromissio; quia cum publicationem electionis Capitulum commiserit Scrutatoribus & directoribus, potuit illa fieri per unum ex illis, qui cæteris præsentibus, iure optimo potuit publicationem electionis facere. *ad text. in c. sicut. 21. de elect. in 6. & tantò magis, stante præsentia & acquiescentia ipsius Capituli, dum Decanus S. Pauli unus ex compromissariis, tam nomine suo, quam aliorum omnium publicavit in Decanum D. Ioannem Saunneur; ex quo resultat non solum ratificatio gestorum per Decanum S. Pauli, quibus Capitulum tacendo videtur consensisse, ut in puncto gloss. in d. cap. sicut. verb. per unum. Abb. in d. c. quia propter. n. 11. Specul. tit. de elect. §. 1. n. 2. vers. si autem. Franc. Marc. decis. 924. n. 2. Petr. de Bassio. in direct. elect. par. 3. cap. 33. n. 4. qui DD. loquuntur, quando publicatio debet fieri ab eo, qui non est de Capitulo, ut in casu nostro, sed etiam declaratur & cognoscitur, quid & quomodo per d. Capitulum S. Bartholomæi Scrutatoribus ac directoribus fuerit ordinatum & dispositum.*

*Publica-
tio electio-
nis potest
fieri ab u-
no Scru-
tatorum,*

IV. Denique non obstat, quod instrumentum electionis, ex eo quod careat testibus, non videatur in forma probanti, cum talis defectus suppleatur ex subscriptione directorum, præsertim cum adfuerit unus testis, & Notarius, qui loco alterius testis habetur, nec non tot Canonici, qui sic & tanquam partes & interesse habentes considerentur, nihilominus visum fuit Dominis sufficere pro talis defectus supplemento.

*Instrumentum electio-
nis sub-
scriptum
à directo-
ribus est in
forma pro-
banti.*

V. Ex quibus censuerunt Domini electionem fuisse validam, reservant tamen super electi idoneitate particulariter videre.

*Conclusio
pro validi-
tate electio-
nis.*

SECUN-

SECUNDA.

Mercurii 10. Decembris 1627. coram R.
P. D. Pirouano.

Decisio al-
tera prioris
confirmata
soria.

N. I.



Esolutū fuit, standum esse in decisio in hac causa 26. Fe-
bruarii preteriti 1627. quia *Sauueur* docet de suo titu-
lo, nempe valida electione, nedum quia habuit maio-
rem votorum partem respectu totius Capituli ad ca-
nonicā electionē necessariā *c. Ecclesia vestra. 48. de elect. ubi Abb. n. 4. & conf.*
52. n. 4. lib. 2. Dec. in c. cum omnes. 18 in 1. lect. n. 7 de constit. Franc. Marc.
decis. 922. n. 2. lib. 1. Sed omnes de Capitulo concurrerunt ad eandē ele-
ctionem, ut clarē colligitur ex instrumento electionis, quod datum fuit in
eius *summario*.

Nec obstat
c. quia
propter.
uis in su-
ppacitata
decisione.

II. Non obstat, quod electio sit nulla, ob non servatam formam *c. quia*
propter. 42. de elect. circa votorum eligentium, & ad invicem ipsorum
Scrutationem, & ipsius electionis publicationem, quibus circumscriptis,
electio invalida remanet, *Innoc. Hostien. Abb. Butr. in d. c. quia propter. &*
late fuit comprobatum in Treviren. Abbatis. 20. Novembris 1624. coram
D. Decano. quia decisio respondit dispositionem *c. quia propter.* non se
extendere ad inferiores dignitates in Collegatis existentes, prout est Deca-
natus, de quo agitur, *Abb. in d. c. Ecclesia vestra. n. 7. de elect. Imol. ibid.*
n. 3. Franc. Marc. decis. 922. n. 3. lib. 1. ea ratione, quia Ecclesia non vidu-
atur per inferiores, sed per primam dignitatem, *gloss. Abb. 10. Andr. Butr.*
Imol. in d. c. quia propter. Fran. Marc. d. decis. 922. n. 1. lib. 1. Garcias de be-
nef. par. 1. c. 6. n. 19. & 20.

Quia De-
canatus
non est
principalis
dignitas.

III. Non obstat, quod hæc Decanalis dignitas sit principalis in Ec-
clesia S. Bartholomæi, in qua contigit vacatio, & de qua agitur, ut propter
ea supradicta retorqueantur, & intrant pro invaliditate electionis, quia vi-
sum fuit *Noviliam* impetranter sufficienter non iustificasse hanc qualita-
tem, prout ei necessarium erat, dum obijcit defectum formæ non serva-
tæ in electione, *Rota decis. 8. & 9. de except. in nov. & decis. 353. n. 8 & 9.*
cum ibi addit. num. 18. coram Papa Gregor. XV.

Quod &
Probant
testes in
hac causa
producti.

IV. Nam si probatio maioritatis huius Decanatus deducatur ex testi-
bus datis per *Noviliam*. *Primus* quidem deponit explicitè Decanatum esse
se primam dignitatem, alii verò duo consentiunt Præposituram esse pri-
mam di-

nam dignitatem; nam *secundus* iuxta 19. dicit in Collegiatis Leodiensibus adesse duas dignitates, scilicet Decanatum & Præposituram, & primam dignitatem esse Præposituram. *Tertius* verò iuxta 21. pariter respondit in qualibet Collegiata Ecclesia adesse duas dignitates, Decanatum & Præposituram, primam verò dignitatem esse Præposituram, & habere sedem in digniori loco, quando ad chorum accedit, quamvis rarissimè soleant facere: & hæc probatio per testes conquassatur, quia duo destruunt dictum unius, & probant plenè contra inducentem, sicut pro eo etiam probationem impleverunt, *Rota decis. 594. n. 2. par. 3. divers. & decis. 747. n. 6. part. 2. recent.* quod idem fuit dictum in *Banoniens. portoni. 8. Martii. 1610. coram D. Patriarcha Pamphilio.* Nec vis facienda est in distinctione iurisdictionum, quod scilicet Præpositus non habeat iurisdictionem in spiritualibus, ut dicunt iidem testes, sed solum cognoscat causas laicorum delinquentium, quia iurisdictione non distinguit prioritatem dignitatum, sed locus nobilior, qui est prima sedes post Pontificalem, quam testes admittunt esse Præpositi, *gloss. in c. quam periculosum. in vers. primatus. 7. q. 1. Felin. in rubr. n. 8. de maior. & obed. Boer. de auct. magn. cons. 79. Cassin. in catalog. glor. mundi. par. 1. confid. 10. Tiraquell. de iur. primog. in prafat. n. 13.* Et similiter non relevat, quod Decanus habeat curam animarum, inferendo per eam ad primatiam dignitatem, quia ex dictis eorundem testium, cura non est apud Decanum in proprietate, sed quoad exercitium, dum eo mortuo, vel absente, Capitulum providet de vice-Decano; & idem est de iure, quod cura in Collegiatis sit penes Capitulum, *Put. decis. 290. lib. 1. Rota in recent. decis. 340. par. 2. Gonzalex ad reg. 8. gloss. 6. n. 71. & seq.* ut propterea non vacante proprietate curæ, non etiã ex hoc capite possit inferri ad viduationem Ecclesiæ.

V. Si verò hæc maioritas Decanalæ dignitatis fundatur de iure communi, hoc pariter non probatur, sed contrarium ex *decis. 4. vers. ego verò dicebam. de elect. in nov. & ibi Papa non asserens Præposituram esse principalem dignitatem, tribus concurrentibus. Primò*, quod sit electiva. *Secundò*, quod habeat administrationem temporalium. *Tertiò*, quod habeat prærogativam in sedendo. Quæ omnia concurrunt in præsentem ex dictis testium *Novilia.* & hæc attetã consuetudine, quæ in Germania viget, ut Præposituræ sint primæ dignitates in Collegiatis, in Francia verò Decanatus, de qua testatur Compilator decisionis, cui multum Domini detulerunt, cum esset auditor Rotæ insignis: & ulterius visa fuit sufficienter comprobari hæc consuetudo ex attestatione *Sixti IV. & V. & aliorum in Concordatis experimentium* hanc Ecclesiam S. Bartholomæi, & Præposituras esse primas dignitates, quæ attestationes referuntur etiam per *Chokier Leodien. in suis comment. ad reg. Cancell. reg. 3. n. 16.* Et dantur duæ electiones de hac

Idem consuetudo in Germania confirmat.

Qua hic
neceditur.

Præpositura, tanquam de prima dignitate in Collegiata S. Bartholomæi.
VI. Non obstat, quod eadem decisio 4. in nou. de elect. contrarium de iure determinet, quia semper obstat consuetudo allegata per Compilato- rem & supra ex aliis comprobata. Neque decisiones *Burgen. iuris Præsidentia*, primò coram D. Patriarcha *Pamphilio*, quæ est 533. n. 4. par. 2. recent. & deinde in eadem coram Domino meo *Merlino* 18. Iunii 1627. contrarium disponunt; quia prima dicit Decanatum esse dignitatem sub n. 4. quod non controvertitur, & sub n. 5. firmat, ubi non adest Archipresbyter, succedit in eius locum Decanus, & hoc admittitur, sed quando in eadem Ecclesia adest Præpositus & Decanus, & quæstio est de prioria, nihil dicit, prout nec secunda decisio hoc tangit. Et quæ deducuntur ex historia *Molani de Canonicis. cap. 4. & poemate Decani S. Pauli*, vel nõ sunt attendenda in hac quæstione de maioritate, vel si aliqua fides esset adhibenda, illa diminuitur & annihilatur ex testibus, & ex instrumentis electionum datis, attestazione Compilatoris, & generalitate qualitatis Præpositurarum Germaniæ, quæ sunt primæ dignitates in Collegiatis, ex supra deductis: ita ut assertio illorum conquassata remaneat ex contrariis allegatis, & penitus irrelevans, *Rota decis. 160. n. 12. par. 1. recent. & in Maioricensi sacristia 5. Novembris, 1603. coram Cardinale Pamphilio. Gratian. discept. 893. n. 26. & 98. n. 26.*

Et sufficit
publicatio
per unum
ex Scrutatoribus.

VII. Demum non obstat, quod si etiam admitteretur Decanatum non esse primam dignitatem, nec per consequens subiacere illius electionem formæ c. quia propter. nihilominus esset servanda forma præscripta in Compromisso, etiam si forma non fuisset de iure necessaria. *Innoc. in c. si cui. 23. & ibi Franc. post Archid. & Io. Andr. n. 2. de elect. in. 6.* propterea cum publicatio electionis facta non fuerit ab omnibus deputatis in Compromisso, sed tantum à Decano S. Pauli, dicebatur electionem corrumpere. Quia decisio causæ respondit sufficere publicationem esse factam ab uno ex Scrutatoribus aut Directoribus in compromisso nominatis, cæteris præsentibus. c. sicut. 21. de elect. in 6. & quod magis est, Capitulo præsentibus & acquiescente; quæ acquiescentia succedit loco ratificationis

gestorum per Decanum S. Pauli, *Specul. in tit. de elect. §. 1. n. 20.* cum aliis in eadem decisio-

ne causæ allegatis. Et:

ita &c.

TERTIA

TERTIA.

Mercurii 14. Iunii 1628. coram R. P.
D. Pirovano.

N. I.



Etiò hæc causa fuit proposita, & Domini adhuc *Tertia de-*
responderunt standum esse in decisio, quia *ciſio, quò*
primis ſta-
tur. *Ioannes*
Sauneur fundat intentionem suam super valida ele-
ctione Capituli, & Confirmatione Episcopi, ut in
primis decisionibus abundè fuit firmatum; *Novilia* autem tanquam præ-
tensus proviſus à sede Apostolica, & de eadem dignitate Decanatus tan-
quam de prima in Collegiata non iustificat narrativam suarum literarum;
quia tam de iure Decanalis dignitas non est prima, *c. quamvis. 9. de verbor.*
signif. Oldrad. conf. 281. n. 1. quàm de consuetudine generali Germaniæ, de
qua testatur Rota *decis. 4. de elect. in nov.* affirmando Præposituralè digni-
tatem esse primam in Ecclesiis Regionis prædictæ, cum qua concurrat al-
tera assertio, de qua in Bulla Concordatorum Leodiensium, in qua po-
nitur hæc S. Bartholomæi Præpositura, & dicitur Præposituras esse pri-
mas dignitates, & dantur duæ provisiones Apostolicæ de hac S. Bartho-
lomæi Ecclesia tanquam de prima dignitate: & his accedunt testes *Novi-*
lia consentientes esse primam dignitatem; ex quibus in primis decisioni-
bus excluderentur obiecta contra electionem *Sauneur*, quod scilicet non
fuisse servata forma *c. quia propter. de elect.* ex quo prædicta forma non
erat servanda in electione dignitatum, per quatum vacationem Ecclesiæ
non viduantur, prout non viduantur per obitum obtinentium inferio-
res dignitates, ut latè fuit firmatum in decisionibus causæ.

II. Neque relevant, quæ hodie replicata fuerunt, quod licet Præpo-
situs habeat primam sedem in Choro, & habeatur tanquam prima di-
gnitas ad effectum reservationis, attamen nihil commune habeat cum
Capitulo, aut ei præsit, ut idè nec Præsident, aut Prælatus, aut digni-
tas in ea dici possit, *Gemin. inc. 1. n. 7. vers. est ergò. de consuetud. in 6.*
Add. ad decis. 4. de prob. in nov. Selva de benef. part. 1. q. 2. n. 71. & seq.
Quia hæc distinctio, ultra quod ex allegatis non probatur, neque in pri-
mo, neque in secundo capite, caret etiam ratione, nam distinguere
effectus reservationis, & prioritatis, aliud non est, quàm admittere duo
capita in eodem Collegio & Ecclesia, quod monstruosum reputatur, & in

Præposi-
tus equi-
dè dicitur
prima di-
gnitas. li-
ces non
præsit Ca-
pitulo.

iure damnatur, ut in *decis. s. de elect. in nov.* ponderatum. Valet quidem argumentum, non præsidet, ergò non est Prælati, aut principalis dignitas; sed alter obtinet principalem dignitatem, & primam sedem in choro, alter verò administrat & imperat, ergò est prima dignitas ista, quæ administrat, non bene consequuntur; quia possunt contingere ex privilegio aut præscriptione, absque læsione status principalis dignitatis in suo esse, quod sit caput & sponsus Ecclesiæ; & per hanc rationem cessant argumenta à iurisdictione Archidiaconi, & cura animarum, quæ illi annexa prætenduntur, quia si cessarent probationes istius qualitatis prioralis, bene deservunt tanquam signa ad distinguendum statum primæ dignitatis; sed admissio, quod plenè iste status sit probatus, prout verè probatur ex iam relatis, non est opus coniecturis aut signis circa ea, quæ clarè patèt, ut iustificentur in sua qualitate, *l. continuus ff. de verbor. oblig. l. cum de indebito. ff. de probat. surd. decis. 194. n. 20.*

*Et per e-
ius, non au-
tem Deca-
ni mortem
Ecclesia
viduatur.*

III. Minùs visum fuit obstare, quod hodie prætendatur probari Ecclesiam viduari per obitum Decani, ex duabus attestationibus Cleri Leodiensis, & ex tribus enunciativis emanatis in tribus electionibus Decanatus, ac iuramentis eorundem, & auctoritatibus eorum, qui de dignitate Decanorum scripserunt. Quia assertiones Cleri adversus assertionem Papæ in Bulla Concordatorum non præponderant, similiter & enunciativæ electionum cedere debent enunciativis Papæ, tanquam de Præpositura prima dignitate, quæ emanant in duabus provisionibus Apostolicis; & iuramenta Decanorum confunduntur cum iuramentis Præpositorum, quorum forma data fuit, postquam ex eodem contextu apparet, quod deservio in arduis spectet ad eundem Præpositum. Ac demum auctoritates & historiæ non relevant contra veritatem, nam eis tantum creditur, quantum auctoritate comprobata sunt *Dec. in c. cum causam. 13. n. 8. de probat. Paris. conf. 23. n. 152. lib. 1. Menoch. conf. 112. n. 70. lib. 2.* & cum auctoritate Papæ in Bullis Concordatorum, & à testibus eiusdem *Novilia* nuncupetur hæc Præpositura prima dignitas, satis improbantur, ut illis fides non adhibeatur. Et ita fuit resolutum. Hactenus Rota.

*Prædicta-
rum de-
cisionum
confirma-
tio.*

§. 7. Insuper præmissæ decisiones Rotales circa formam electionis *c. quia propter*, in dignitatibus maioribus, & principalibus in Ecclesiis Collegiatis necessariò observandam, confirmatæ fuere ab eadem Rota Romana *in una Leodiens. Abbatiæ. 19. Januarii 1633.* per insigni decisione ad favorem *q. Ioannis à Chokier* Vicarii in spiritualibus Generalis Leodiensis emanatâ, quam, ne prolixior sim, hîc omitto.

§. 8. Ser-

§.8. Servanda quoque est prædicta forma in electione Prælatorum quarumcumque Ecclesiarum Regularium, super quo omnem ambiguitatem sustulit sacra Tridentina Synodus, quæ d.c. quia propter. minimè derogavit, sed & sess. 25. cap. 6. de regular. statuit hisce verbis. *In electione superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quò omnia rectè & sine ulla fraude fiant: imprimis sancta Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta: ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares, ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces & suffragia absentium supplere. Si verò contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is, qui ad hunc effectum se in Provinciale, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat; facultatesq. super his concessæ eo ipso abrogatæ censeantur, & si in posterum aliæ concedantur, tanquam subreptitiæ habeantur. Videantur super his decisiones Rotales supra §. 4. & 5. citatæ.* Et hæc de forma in electionibus Ecclesiarum & dignitatum servanda attigisse sufficiat, iam ad alia progrediamur.

Et in quibuscumque Prælaturis regularibus.

§.9. Respondeo secundo, in vim prædictorum Concordatorum Pontificiæ dispositioni reservari nominatim collationem & provisionem maiorum dignitatum in Cathedralibus post Pontificalem, & principalium in Ecclesiis Collegiatis, in quocumque mense vacantium, ut patet ex tenore eorundem Concordatorum supra num. 5. ubi Papa concedit de cæteris dignitatibus, & beneficiis quibuscumque, tam sæcularibus, quàm regularibus in sex Ordinariorum mensibus infra designandis vacantibus, per eosdem Ordinarios posse disponi (maioribus dignitatibus post Pontificalem in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Ecclesiis exceptis) quæ etiam per Regulam III. nunc IV. Cancellariæ Apostolicæ expressè sunt reservatæ, de quo vide Garciam de benef. part. 5. cap. 1. §. 5. num. 256. Chokier ad reg. 1. sub n. 23. casu 15. & ad reg. 3. n. 6. Layman Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 11. num. 1. Barbof. de off. & potest. Episcopi. part. 3. alleg. 57. num. 24. & seq.

Insuper Concordatæ reservantur Papæ maiores dignitates in Cathedralibus, & principalibus in Ecclesiis Collegiatis in omni mense.

*Videlicet
Præposi-
turas.*

§. 10. Maiores porrò dignitates post Episcopalem in Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis communi omnium passim locorum per Germaniam usu censentur Præposituræ, *Chokier ad reg. 3. cancell. n. 20. Layman loco supra cit. Rotæ decis. 4. in nov. de elect. & in decisionibus supra hoc tit. & dub. post § 6. adductis.* Vbi tamen in Collegiatis nulla existeret Præpositura, Decanatus vicem principalioris dignitatis obtineret.

*Idq. fuit
per Rotam
Romanam
sæpè decla-
ratum &
decisum.*

§. 11. Quin pro omni ambiguitate circa hanc reservationem Pontificiam tollenda, id ipsum crebris Rotæ Romanæ decisionibus fuit definitum & confirmatum, uti videre est *part. 2. recent. decis. 580. & apud Branden. ad Concordat. quest. 12. notab. 3.*

*Leodienses
gaudent
peculiaris
privilegio
eligendi
Præpositos.*

§. 12. Verùm ab hac reservatione excipiuntur Leodienses, quos speciali Concordato, privilegio & prærogativa coonestavit *Sixtus V.* Pontifex Maximus anno salutis 1585. Pontificatus sui primo, dum præactas dignitates electivas, tam in Civitate, quàm tota Diocesi Leodiensi voluit non comprehendi sub hac, & quibuscumque Regulis reservatoriis, aut aliis in corpore juris non clausis; sed reliquit liberæ electioni inferiorum, dummodò tamen intra 30. dies à die vacationis computandos electio fiat, & confirmatio petatur à S. Sede infra sex menses à die electionis numerandos, alias ejusmodi electiones nullas declarat, suæq; & successorum suorum dispositioni reservat: nec eiusmodi electioni voluit præiudicium aliquod afferri per quascumque collationes, provisiones, commendas, vel qualvis alias in contrarium auctoritate Apostolicâ factas dispositiones, etiam cum speciali derogatione horum privilegiorum & Concordatorum, prout apparet ex dicta Constitutione extensè posita à *Chokier. ad reg. 3. cancell. sub num. 16.* Quam *Urbanus* Papa VIII. non solum confirmavit, sed insuper indulgit, nullas prædictarum Præpositurarum resignationes, simplices cessiones, vel etiam coadiutorias admittendas esse, nisi in favorem Canonicorum eiusdem Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, cuius privilegii Apostolici tenorem pro maiori notitia hinc inferere libuit.

VRBA-

URBANVS PAPA VIII.

Constitu-
tio Urbani
Papa 8. ad
favorem
Leodiens-
ium.



AD perpetuam rei memoriam. Clerum Leo- Exordiū.
diensem, ob eius amplitudinem, & sinceram
erga sedem Apostolicam devotionem, pa-
terno affectu complectentes, de eius privile-
gijs non conservandis tantum, sed & am-
pliandis libentissime cogitamus.

Num. I. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte di- Reconsen-
lectorum filiorum Capituli & Canonorum Majoris Ec- tur indul-
clesiæ Leodiensis petitio continebat, quod aliàs sel recor- ta & pri-
vilegia à
varijs
Pontifici-
bus Clero
Leodiensi
concessa
circa ele-
ctiones ad
Præpositu-
ras, vim
Concorda-
torum hab-
entia.

SIXTO Papæ V. Prædecessori Nostro pro parte Capitulo
rū dictæ Maioris, & Sæculariū ac Collegiatarū Ecclesiarū
Civitatis & Diocesis Leodiensis, & quarundam particula-
riū personarū expositò, quod cum ipsa Capitula prætextu
literarum piæ memoriæ EVGENII Papæ IV. etiam Præ-
decessoris Nostri, quas vim Concordatorum inter ipsas
Ecclesias, & Sedem præactam habere prætendebant, ac
quibus inter alia caveri dicebatur expressè, electiones ad
dignitatem majorem post Pontificalem in Majori, &
principales in Collegiatis Ecclesijs huiusmodi electivas per
tempora à iure statuta expectari, illasq; approbari & con-
firmari, vel infirmari debere, prout iustitia & æquitas sua
deret, atque etiam prætextu literarum recol. mem. PII
II. & SIXTI IV. ac forsan aliorum Romanorum Pontifi-
cum etiam Prædecessorum Nostrorum, quibus inter alia
idem ipsis etiam de novo indultum & concessum diceba-
tur;

tur, quibus etiam literis præacti SIXTI IV. Prædecessoris antiqua consuetudo approbata prætendebatur, quod tam Majoris, quam etiam ferè omnium aliarum Ecclesiarum præactarum Civitatis & Diocesis huiusmodi major & principales dignitates præactæ, aliis quam Canonicis actu præbendis ipsius Ecclesiæ Majoris conferri aut commendari nequirent, quodq; ab iisdem dignitatibus omnes aliæ, præter certas in dictis prætensis Concordatis, indultis & privilegijs expressas reservationes, erant exclusæ, occurrentibusq; pro tempore vacationibus tam majoris, quam principalium dignitatum huiusmodi, personarum idonearum ad illas electiones ad se pertinere legitimè prætenderent; ac postea inter provisos de illis auctoritate Apostolicâ, & electos à præactis Capitulis ad easdem dignitates variæ sæpè lites & controversiæ orirentur, prout ortæ tunc erant, seu periculum erat, ne inter provisum à sede præacta de aliquibus ex dictis dignitatibus, & ad illas electos orirentur. Idem SIXTUS V. Prædecessor supplicationibus sibi pro parte dictorum Capitulorum desuper tunc porrectis inclinatus, per suas sub data Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quinto. Nonis Maii, Pontificatus sui anno primo expeditas literas, Concordata seu indulta, & Prædecessorum præactorum literas moderans & amplians, loco illorum in perpetuum iisdem Capitulis omnium tam Majoris, quam aliarum Ecclesiarum Civitatis & Diocesis præactarum, & eorum singularis, ut occurrentibus vacationibus Præpositurarum & Abbatiarum

batiarum sæcularium nuncupatarum earundem Ecclesia-
 rum, tam scilicet majoris post Pontificalem, quàm prin-
 cipalium dignitatum Collegiatarum Ecclesiarum huiusmo-
 di, nisi illæ pro tempore vacantes per reservationes in cor-
 pore juris clausas, aut ex personis inibi nominatim expres-
 sis, dispositioni Apostolicæ reservatæ forent, ad liberam
 electionem personarum idonearum ad dignitates huius-
 modi procedere liberè & licitè valerent, concessit & in-
 dultit, nec non quod electio ipsa intra triginta dies à die va-
 cationis huiusmodi computandos omninò fieri, & confir-
 matio intra sex menses à die electionis numerandos à Ro-
 mano Pontifice pro tempore existente, à quo confirmari,
 vel infirmari deberet, prout æquitas & ratio suaderet, pe-
 tenda esset, decrevit. Provisò tamen, quod sic confirmati
 Ordinarijs ipsis debita præstarent juramenta, obsequia &
 alia, ad quæ de jure, vel consuetudine tenerentur. Insuper ne
 ad Præposituram Majoris Ecclesiæ prædictæ, quæ inibi
 dignitas post Pontificalem major, vel ad *SS. Petri,*
Martini, Pauli, S. Crucis, SS. Joannis, Diony-
si, & Bartholomæi Civitatis Leodiensis, necnò *Tun-*
grensis, Huensis, Fossensis, Beatæ Mariæ Tra-
jectensis, Eyckensis, Visetensis, Amaniensis, Cina-
centis, Dionantensis, & Tudinensis locorum seu
 Oppidorum dictæ Diocesis, ac *Beatæ Mariæ*
Namurcensis Ecclesiarum Præposituras, seu Abbatias
 sæculares, quæ in Collegiatis Ecclesiis huiusmodi princi-
 pales

pales sunt dignitates, aliæ personæ, præterquam Canonici eiusdem Majoris Ecclesiæ actu præbendati, & personaliter in ea residentes: etiamsi dignitatem aliam in ipsa Majori, aut aliis Ecclesiis præactis obtinerent, eligi possent, aut deberent: & ne quis eorum plures, quàm unam ex Præposituris, seu Abbatijs sæcularibus, vel dignitatibus eiusmodi insimul retinere possit, perpetuò inhibuit & interdixit, decernens, aliasq; præactas in corpore juris clausas, & ratione personarum sic nominatim expressarum ab ipso SIXTO V. vel eius Prædecessoribus, vel successoribus pro tempore factas, & faciendas speciales & generales de vacantibus & vacaturis beneficijs Ecclesiasticis & dignitatibus huiusmodi reservationes, etiam per Cancellariæ Apostolicæ Regulas, vel alias quascumque Constitutiones, vel Ordinationes Apostolicas, etiam perpetuas vel temporales, etiamsi in eis dignitates electivæ nominatim & in specie reservatæ, ac gratiæ & indulta huiusmodi in specie expressa forent, ad dignitates præactas minimè extendi, sed quoties illæ emanarent, toties ipsa Capitula in suum pristinum jus restituta & reintegrata censi debere decrevit, & aliàs prout in dictis SIXTI V. Prædecessoris literis, quas vim contractus inter ipsum & Sedem præactam cum dictis Capitulis initi habere voluit, plenius continetur.

*Eorumq;
causa.*

II. Cùm autem sicut eadem petitio subjungebat, eadem Capitula in possessione seu quasi, juris eligendi ad maiorem post Pontificalem, & principales dignitates Ecclesiarum huiusmodi juxta formam dictarum literarum existant, certumq; sit, non parum ornamenti ipsis Ecclesiis accedere,

accedere, dum ad præactas dignitates personæ ex gremio Capituli dictæ Majoris Ecclesiæ, quæ inter insigniores Christiani Orbis Ecclesias meritò connumeratur, & in qua nullus, nisi Doctrinâ, aut generis nobilitate conspicuus admitti potest, assumuntur, maximeq; verendum sit, ne secus plerumque accidat, si liberum sit, aut permittatur dignitates ipsas obtinentibus, illas in sibi bene visarum personarum favorem resignare, aut si ad illas alii, quàm ex dicto gremio assumantur. Quare pro parte Capituli & Canonorum Majoris Ecclesiæ hujusmodi, & qui ab ipsis pro eorum juribus tuendis & defendendis ad Nos & sedem eandem missi sunt, dilectorum filiorum *Lamberti de Lamotte* Prodecani, & *Ernesti de Kerkem* ac *Zegheri à Groesbeeck* ejusdem Majoris Ecclesiæ Canonorum Nobis fuit humiliter Supplicatum, quatenus in præmissis opportunè providere, eosq; amplioribus favoribus & gratiis prosequi de benignitate Apostolica dignaremur.

III. Nos igitur earundem Ecclesiarum decori & ornamento consulere volentes, ipsiusq; Capituli & Canonorum dictæ Maioris Ecclesiæ singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodo libet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, dictasq; SIXTI V. Prædecessoris literas, illarumq; totos & integros tenores præsentibus pro plenè &

*Forunã
indultorũ
extensio
ampliss-
ma.*

sufficienter expressis habentes, illasq; & in eis contentas
 quaecumque, salvâ tamen infrascriptâ ampliatione & ex-
 tensione, approbantes & confirmantes, omnesq; & singu-
 los tam juris, quàm facti, & quosvis alios defectus, si qui de-
 super quomodolibet intervenerint, in eisdem supplentes,
 easq; modo infrascripto, illis aliàs, & quoad reliqua omnia
 in suo robore permanens, ampliantes & extendentes, eis-
 dem Capitulo & Canonicis dictæ Majoris Ecclesiæ, ut de
 cætero Præpositura dignitas ibidem major post Pontifi-
 calem Majoris Ecclesiæ, & *SS. Petri, Martini,*
Pauli, S. Crucis, SS. Ioannis, Dionysij & Bar-
tholomæi Civitatis Leodiensis, nec non *Tungrensis,*
Huyensis, Fossensis, Beatæ Mariæ Traiecten-
sis, Eyckensis, Visetensis, Amaniensis, Cinacensis,
Dionantensis, & Tudimensis locorum seu Oppidorû
 dictæ Diocesis, & *Beatæ Mariæ Namur-*
ensis Collegiatarum Ecclesiarum Præposituræ, seu Ab-
 batiaæ sæculares, dignitates inibi principales in aliorû, præ-
 terquàm Canoniorum eiusdē Majoris Ecclesiæ actu præ-
 bendatorum, & personaliter in ea residentium favorem, &
 nisi etiam ad hoc Capitulorum huiusmodi ius seu privile-
 gium eligendi habentium, seu majoris partis eorum acce-
 dat assensus, etiam causâ permutationis vel concordia, etiã
 in Nostri, vel Romani Pontificis pro tempore existentis,
 vel cuiusvis alterius ad id facultatē habentis manibus, nunc
 & pro tempore illas obtinentibus resignari, seu iurium in
 illis, vel ad illas competentium cessiones fieri, vel in illarum

regimine & administratione, aliorum quàm Canonicoꝝ
dictæ Majoris Ecclesiæ actu præbendorum & personali-
ter residentium, ac de consensu prætracto facienda, etiam
Apostolicâ & quavis aliâ auctoritate admitti, aut alij in
Coadjutores perpetuos & irrevocabiles in regimine & ad-
ministratione dictarum dignitatum, illas nunc, & pro tem-
pore obtinentium, etiam de eorum consensu, & ad eorum
instantiâ deputari nequeant. Adveniente verò casu celsio-
nis simplicis, seu ex decreto Apostolico dimissionis in ma-
nibus Nostris, seu alterius Romani Pontificis pro tempore
existentis, de prætractis Præposituris seu Abbatijis sæculari-
bus, Canonicis dumtaxat dictæ Majoris Ecclesiæ, ac de Ca-
pituli, ad quod ad Præpositurâ, seu Abbatia sæcularê, de qua
cessione simplicem, seu etiâ ex decreto Apostolico dimissio-
nē pro tempore fieri contigerit, electio spectat, consensu, &
non aliâ, de illis provideri debeat, Apostolicâ auctoritate
tenore præsentium perpetuò concedimus & indulgemus, ac
quascumque Coadiutorum, etiam de consensu obtinen-
tium, vel motu proprio de cætero deputationes, etiam cū
futura successione, nec non resignationes, celsionesq; ac
dimissiones huiusmodi, illorumq; admissiones, & in illarū
consequentiâ, etiam ex prætextu, seu ex eo quod vacatio ex
resignatione seu dimissione in manibus Romani Pontificis
facta, & per eum admissa oriens sub reservatione in corpo-
re juris clausa comprehendatur, aut comprehensa, ac
propterea ab indulto dicti SIXTI V. Prædecessoris, quod
ad tales resignationes ac dimissiones, & vacationes ex eis
orientes, & quosvis dictarum dignitatum vacationum
modos,

modos, etiam ex quibus quævis generales reservationes in corpore juris clausæ ubicumque & quodcumque resulerent, auctoritate & tenore prædictis extendimus, excepta dici, videri, censi, aut interpretari possit, vel etiam debeat, ad quorumvis aliorumq; dictæ Maioris Ecclesiæ Canonicoꝝ actu præbendatorum & personaliter residentium favorem, & de consensu Capitulorum ad illas eligendi ius habentium huiusmodi, etiam per Nos & Sedem prædictam, etiam motu simili & de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, ac cum præsentium derogatione, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs & alijs efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusq; , & alijs decretis de dignitatibus prædictis faciendas collationes, provisiones, commendas, commissiones, concessiones, aut quasvis alias dispositiones tanquam præter mentem, & intentionem Nostram, ac in præiudicium dictorum Capitulorum & præbendatorum, eorumq; iurium & privilegiorum factas, nullas & invalidas, nulliusq; roboris & momenti fore, nullumq; per eas cuiquam ius, aut etiam coloratum titulum possidendi tribui: præsentibus vero litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, etiam ex eo quod interesse forsan habentes, seu habere prætendentes ad id vocati & auditi non fuerint, & causæ propter quas emanarint, iustificatæ & verificatæ non fuerint, notari non posse, minusq; sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut alijs contrarijs dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, perpe

perpetuoq; validas & efficaces existere, & quoties illas revocari, suspendi, aut contra eas aliquid disponi contigerit, toties in pristinum & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, seu de novo etiam sub quacumque posteriori data per dicta Capitula quancumque eligenda concessas esse & fore, sicq; ab omnibus censerî.

IV. Et ita per quoscunque Iudices Ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios iudicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, quidquid secus super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, eisdem auctoritate & tenore decernimus. *Decretum irritans.*

V. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, similis memoriæ BENEDICTI Papæ XII. pariter Prædecessoris Nostri, quæ incipit *Ad regimen*, aliisq; Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, dictarumq; Ecclesiarum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, usibus & naturis, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, illis, eorumq; Capitulis, Præsulibus & aliis Superioribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam cum quibusvis clausulis & decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, etsi de illis, eorumq; totis tenoribus & formis specialis, specifica & individua, non autem *Clausula derogatoria.*
per

per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc habenda foret, tenores hujusmodi pro plenè & sufficienter expressis habentes, hac vice duntaxat, illis aliàs in suo robore permanfuris, harum serie specialiter & expressè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunque.

Præservationis cuiuscumque præiudicij.

VI. Per præsentem autem non intendimus illis, ad quorum favorem Præposituræ, seu Abbatiaæ sæculares præactæ, vel earum aliqua resignatæ, vel Coadjutoriaæ cum futura successione ad Præposituras & Abbatias sæculares præactas, vel earum aliquam seu aliquas Apostolicâ auctoritate jam concessæ reperiuntur, præiudicare, eisdemq; præsentem, quòminus resignationes jam admittæ, seu Coadjutoriaæ jam concessæ suum debitum consequantur effectum, ullo modo in aliquo volumus non obstare.

Sanctio pœnalis.

VII. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, ampliacionis, extensionis, concessionis, indulti, decretorum & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo sexto. Kalen, Aprilis, Pontificatus Nostri anno tertio.

A. Davius.

§.13. Quali etiam indulto Apostolico eligendi Præpositum gaudet Cathedralis Ecclesia Augustana, uti asserunt *Branden ad Concordat. quest. 12. & Layman. Theolog. moralis lib. 4. tract. 2. cap. 11. num. 1.* Idem concessum Ecclesie Augustane.

§.14. Respondeo tertio, cæteras etiam dignitates post majores in Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis supra nominatas, sed & quæcumque beneficia Ecclesiastica seu secularia seu regularia, in mensibus Ianuarii, Martii, Maij, Julij, Septembris, & Novembris vacantia, ejusdem Summi Pontificis collationi & provisioni esse reservata, sicut constat ex tenore dictorum Concordatorum supra n. 5. ibi, *De cæteris vero dignitatibus, & beneficiis quibuscumque secularibus & regularibus vacaturis &c.* ita tamen, ut si non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii computandos, quod Pontifex alicui providerit de beneficio in mensibus sibi reservatis vacante, tum Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinet, de illo liberè disponere possit; verùm hoc per aliam Constitutionem Gregorii XIII. Pontificis Maximi, adducendam infra hoc tit. dub. 11. §. 1. fuit sublatum, aut saltem modificatum, eatenus nimirum, ut illi, quibus deinceps gratiæ eiusmodi concedentur, earum concessionum fidem & testimonium intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii huiusmodi, vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficii loco publicare quoquo modo teneantur, decernitq; omnes & quascumque dispositiones de dictis beneficiis ab eisdem collatoribus post significationem, seu publicationem huiusmodi pro tempore factas, nullas & invalidas; quia verò prædicta Constitutio emanavit inconsultâ Natione Germanicâ, ideò minùs observatur, uti notant *Wamesius in consil. canonic. tom. 1. consil. 255. num. 6. Chokier ad reg. 2. cancell. num. 16. Zypaus in consultat. canonic. lib. 3. de præben. consultat. 5.* Reservant etiam Papæ dignitates & beneficia in sex mensibus Apostolicis vacantia.

Gregorii
Papæ 13.
Constit. 41.
Bullarib.
sem. 2.

§.15. Nec est, quod Capitula contendant ad se in quovis mense eiusmodi dignitatum inferiorum electivarum dispositionem pertinere; nam negari haud potest, quin cæteræ dignitates omnes, & beneficia etiam electiva, quocumque nomine vocentur, post maiores in Cathedralibus, & principales Siquidem eadem sub Concordatis cadere indubitatum est.

H

in

in Ecclesiis Collegiatis, comprehendantur sub alternativa Concordatorum reservatione, quod ex ipsis Concordatorum verbis clarè elicitur; siquidem cum in ijs paulò antè sub *num. 4.* facta sit mentio de dignitatibus & beneficiis electivis, quorum confirmatio à Papa peti debet, & postea *num. 5.* subjiciatur, *Deceteris verò dignitatibus, & beneficiis quibuscumque &c.* Papæ & Ordinatio in alternis mensibus reservatis, intelligendum est etiam de electivis, quia exceptio debet esse de regula, *gloss. in rubr. de reg. iuris in 6.* & accedit dictio *verò*, quæ est adverbialiva, & inducit repetitionem omnium qualitatum expressarum in præcedenti dispositione, *Bald. in l. omnes populi. num. 21. ff. de iust. & iur. præsertim cum eodem num. 5.* subdatur, quorum beneficiorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio ad inferiores (cessantibus scilicet reservationibus) pertinebat, & quæ per eadem Concordata tum Papæ, tum Ordinario in alternis mensibus reservantur: ex quibus evidens est, quod hujusmodi dignitates, prout & beneficia quæcumque in sex mensibus Papæ ad eius dispositionem, in aliis verò sex vacantia ad Ordinarios electionem & provisionem spectent. Et ea de re extat insignis decisio Rotalis *in una Præpositura Paderbornen.* relata per *Branden ad Concord. German. post quest. 12. not. ab. 3. & per Chokier in comment. ad reg. 24. aliàs 25. cancell. num. 19. & seq.* quæ etiam confirmatur *decis. 580. par. 2. recent.*

*Advers.
Decanatus
& Schola-
stria in
mensibus
Apostolicis
vacantes
Papa sunt
reservata.*

§. 16. Vnde consequens est, quod Decanatus & Scholastrix, & his similia, quocumque nomine nuncupentur, quæ in omnibus penè Ecclesiis sunt dignitates inferiores, seu beneficia, aut officia perpetua Ecclesiastica electiva, *Flamin. Paris. de resignat. lib. 2. quest. 1. num. 87. & 127.* extra Romanam Curiam in mensibus Apostolicis vacantia, esse Pontificiæ collationi affecta, ut colligitur ex antedictis Concordatorum verbis *num. 5.* Et ita decidit Rota in præcitatis decisionibus, quod Pontifex talia etiam beneficia inferiora electiva in mensibus suis vacantia conferre habeat. *Branden quest. 7. per tot. & Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 1. num. 119 & §. 4. num. 255. ac §. 11. num. 364.* De quo certè nemo ambigere potest, nisi in luce meridiana,

diana caliget; quia cùm hujusmodi dignitates sint beneficia, vel officia perpetua Ecclesiastica electiva, seu administrationes veri beneficii rationem habentes, utpote quæ dantur in titulum, & conceduntur ad vitam titulati, *c. cùm accessissent. 8. de constit. extravag. ad Romani. §. Nos &c. de præben. Hoieda de benef. incompatib. part. 1. cap. 8. num. 3. Flamin. Paris. de resignat. lib. 2. quest. 1. num. 78. & seq. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 11. num. 2. de quo latiùs infra hoc tit. dub. 3. minimè possunt excipi ab alterna Concordatorum quæcumque beneficia, seu officia etiam electiva, vel administrationes, quæ in titulum conceduntur, quæq; jure beneficiorum Ecclesiasticorum censentur, obtinentur & reguntur, *Clem. 2. quia contingit. §. ut autem. vers. nisi in illorum &c. de religios. domib.* in alternis mensibus expressè reservantium, uti nec à Regula olim VIII. nunc IX. Cancellariæ Apostolicæ, *Gonzalez loc. cit. num. 5. Garcias de benef. part. 5. d. cap. 1. §. 1. num. 119. & seq. Chokier ad reg. 8. gloss. 1. num. 24. & gloss. 9. num. 1. Rota apud Duran decis. 340. num. 6. & seq. part. 2.* Adeoq; in mensibus Sedi Apostolicæ reservatis vacantia ad Summi Pontificis collationem, uti & in mensibus Ordinariis ad Ordinariorum dispositionem spectent, cujus rei exemplum habuimus superioribus annis in Collegiata Tungrensi Diocesis Leodiensis; siquidem aliàs vacantibus ibidem Canonatu & Præbendâ cum Scholastria per mortem q. *Lamberti Gilkens* anno 1606. de mense Februarii extra Romanam Curiam defuncti, Præpositus ejusdem Ecclesiæ uti collator Ordinarius vigore Concordatorum Germaniæ de Canonatu & Præbenda quidem providit bon. mem. Reverendissimo D. Avunculo meo *Richardo Paulo Stravio*, postea Archidiacono majori Atrebatensi & Cameracensi, ac Sedis Apostolicæ in Belgicis ditionibus, Burgundiæq; Comitatu per annos novem inter-Nuntio, & dein Episcopo Dionysienfi & Suffraganeo Leodiensi: de Scholastria verò *Guilielmo Vossio*: unde desuper per q. *Quirinum Bilstain* Apostolicum in hisce coadjutorem ipsis lite motâ, & in Rota Romana introductâ, fuere utrique per gratiam motus proprii. *Pauli* Papæ V. dicta beneficia in vim eorundem Concordatorum adjudicata, non*

obstante dictâ coadjutoriâ, atque adversario perpetuum silentium impositum, uti videre est apud *Chokier ad reg. 8. gloss. II. sub num. 23.* & nos referemus *infra tit. 3. dub. 3. §. 13.*

Et sub indultis A. apostolicis cadunt.

§. 17. Quin & easdem dignitates, ac beneficia electiva cadere sub Indulto Apostolico Vniversitatibus studiorum generalium concessio rectè consuluit *Wamesius in consil. canonic. tom. 1. consil. 257. per tot.* ubi non minùs eleganter, quàm doctè hanc materiam discutit in puncto Thesaurariæ ad favorem nominati ab Vniversitate Lovaniensi.

Excipiuntur Leodienses.

§. 18. Cessat tamen apud Leodienses hæc reservatio, præsertim circa Decanatus, ad quos in quocumque etiam mente vacantes ex peculiari Indulto Pontificio facultatem habent personas idoneas eligendi, quod majoris cognitionis ergò hîc subijcio.



PIUS PAPA II.

Exordium.



D perpetuam rei memoriam. Cunctis orbis Ecclesiis disponente Domino Præsidentes, circa ipsarum ac dignitatum earundem statum salubriter dirigendum sollicitis studiis vigilamus, easq; sic cupimus utilis Nostræ provisionis ope dirigi, ut prosperis, auctore Domino, jugiter proficiant incrementis,

In ultimum Pii Papæ 2. concessum Clero Leodiensi eligendis Decanos in omnî mense.

Motivum hujus indulti.

Num. I. Cùm itaque, sicut accepimus, Decanis Majoris, & Collegiatarum Ecclesiarum Civitatis & Diocesis Leodiensis ut plurimum incumbat onus Capitulis Ecclesiarum ipsarum præsidendi, aut singula ad directionem Divini cultus spectantia disponendi, ac majoritatem, & præla-

prælationem quodammodo sapientiâ faciendi, ad quæ non omnes, quos fors obtulerit, sed quorum industria meritò comprobanda fuerit, assumendi sunt viri idonei, qui ea sciant debita cum decencia & gravitate, ac ipsarum Ecclesiarum venustate laudabiliter exercere.

II. Nos igitur habito Ecclesiarum ipsarum decentiæ & venustatis respectu, cupientesq; ut ad Decanatus ipsos, quoties illos pro tempore vacare contigerit, viri duntaxat assumantur idonei, sperantesq; quod personæ Ecclesiarum ipsarum, quæ illorum, cum quibus assidue conversantur, mores per quotidianam experientiam cognoverunt, id scient faciliè adimplere, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate, auctoritate Apostolicâ, & ex certa scientia, tenore præsentium statuimus & ordinamus, ut ad Decanatus ipsos, quoties illos de cætero perpetuis futuris temporibus in quibuscumque etiam Apostolicis mensibus vacare contigerit, præterquam, si illi per modos reservationum in aliis Nostris literis sub præsentis data expeditis exceptos reservati non fuerint, per eos, ad quos jus eligendi personas ad eoldem Decanatus aliàs de jure, vel consuetudine, si cessarent Apostolicæ reservationes, spectare dignoscetur, quibusvis per Nos & successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem Apostolicam de eisdem Decanatibus, etiam si dignitates in Collegiatis Ecclesiis principales fuerint, ac etiam ratione personarum illos obtinentium, vel aliàs pro tempore factis specialibus vel generalibus, præterquam præmissis re-

*Electio ad
Decana-
tus in quo-
cumque
mense va-
cantes con-
ceditur
Ordinariis
Leodiens-
ibus.*

reservationibus, etiam cum irritantis interpositione decreti, nequaquam obstantibus, personæ idoneæ iuxta formam iuris communis eligi, electiꝫ ipsi, si Decanatus principalis dignitas fuerit, illiusꝫ fructus, redditus & proventus ad summam sex marcharum argenti secundum communem estimationem valorem annum ascendat, iuxta alias ordinationes Nostras à Nobis, si verò ad huiusmodi valorem non ascendat, aut si principalis dignitas non fuerit, ab illo ad quem de iure, vel consuetudine electionis spectat confirmatio, si maluerint, confirmari debeant.

Excipiuntur à quibusvis gratiis expectativis, & nominationum indultis,

III. Et insuper volumus, & auctoritate prædictâ decernimus, quod præfati Decanatus in quibuscumque mēsis vacaverint, sub gratiis expectativis, specialibus vel generalibus reservationibus, nominationibus, nominationi vel conferendi beneficia Ecclesiastica facultatibus, aut aliis ad vacantia, vel vacatura beneficia, etiam motu & scientia similibus quibusvis personis, sub quacumque verborum forma, & cum quibusvis derogatoriis clausulis per sedem Apostolicam, vel Legatos eius pro tempore concessis, aut concedendis literis minimè comprehendantur, nec illarum prætextu acceptari, aut de illis provideri valeat, sed ab illis sint, & omnino censeantur excepti.

Clausula derogatoria.

IV. Non obstantibus reservationibus & aliis præmissis, ac quibusvis etiam super eisdem reservationibus, aut aliàs per Nos vel dictam Sedem pro tempore factis, & editis Constitutionibus & Ordinationibus, seu Regulis, quas, nisi de præsentibus Nostris literis, & earum data, ac

Clero

Clerō Civitatis & Diœcesis prædictarum signanter mentionem expressam fecerint, nullum statuto, ordinationi, & decreto ac voluntati præmissis præiudicium generari posse volumus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

V. Nos enim ex nunc irritum & inane decernimus, *Decretum irritans.* si secus super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

VI. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam Nos *Sanctio penalis.* strorum statuti, Ordinationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, tertio decimo Kalend. Februarii, Pontificatus Nostri anno primo.

D. De Piscia.

§. 19. Quod sanè indultum supervacaneum foret, si Decanatus & aliæ dignitates inferiores non subiacerent Concordatis Germaniæ; hinc optimè addit *Simonetta de reservat. quest. 39. num. 2.* eos qui procedunt ad electiones non obstantibus reservationibus, esse in latissima culpa, & non sine dolo, dum rei ad alium pertinenti se immiscant, *l. cum quarebatur. II. C. unde vi.*

Vnde Ordinari de iis in mensibus Apostolicis disponere nequeunt.

§. 20. Sed notare libeat, quod ab hac generali Concordatorum alternativa quæcumque beneficia in mensibus Pontificiis vacantia sedis Apostolicæ dispositioni reservante in tantum excipiuntur Leodienses, in quantum per speciale indultum Apostolicum à Pio Papa II. concessum anno 1458. & à Sixto IV. summo Pontifice confirmatū anno 1470. uti ostē-

Leodienses ex speciali privilegio conferunt in quocumque mensis beneficio.

dant.

non excedens duas argenti marchas.

dam *infra tit. 3. dub. 1. §. 14. 15. & 16.* gaudent facultate conferendi beneficia Civitatis & Diocesis Leodiensis in quocumque mense vacantia, quæ non excedunt duas argenti marchas, id est, duodecim ducatos de Camera; marchâ siquidem argenti puri iuxta *Gomezium ad reg. de valore exprim. quest. 9. VVamesium in consil. canonic. tom. 1. consil. 237. num. 20. Chokier ad preces primar. sect. 4. lit. R.* valente sex ducatos de Camera. Quo privilegio etiam gaudent Cameracenses, referente eodem *VVamesio in consil. canon. tom. 1. consil. 236. num. 1.*

In aliis autem sex mensibus vacantia reservant Ordinariis.

§. 21. *Respondeo quartò*, eadem quoque dignitates, dummodò non sint maiores post Pontificalem in Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis, quas *suprà hoc tit. & dub. §. 9.* Sedi Apostolicæ specialiter reservatas ostendimus, & quæcumque beneficia Ecclesiastica, electiva & collativa, in sex aliis, videlicet *Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris* mensibus vacantia, Ordinariorum dispositioni, electioni, aut collationi esse reservata, sicuti clarè loquuntur dicta Concordata *suprà num. 5.* Et sic, ne Ordinarii quererentur, Pontifex æquâ lance annum inter se, & eosdem dividit, ipsis sex, sibi autem aliis sex mensibus reservatis, ut nimirum Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum quæ sunt per orbem, maior sit communicatio, & coniunctio cum Ecclesia Romana matre sua, dum non solum in spiritualibus, quæ sæpè parùm curantur, sed etiam in temporalibus, & proventibus Ecclesiasticis ab ea dependent. Quò enim in pluribus ab ea dependent, & ad eam confugere debent, eò magis reverentur, amant, & in iis, quæ ad fidem, mores, & sacra ministeria pertinent, se illi submittunt; quod si in nullo ab ea dependerent, facilè unio Ecclesiæ per schismata dissolveretur, prout non incitè respondit *Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 10. num. 48.* Meritò ergò menses anni partitus est inter se, & Ordinarios.

Sive per obitum vacantem sive de iure, licet congrarium sit prebabilium.

§. 22. *Respondeo quintò*, verisimile esse, quod alternativa per Concordata concessa non solum habeat locum in beneficiis vacantibus per obitum, sed etiam per affecutionem secundi incompatibilis, per renunciationem, privationem, matrimonium

monium contractum, & ingressum religionis; ad modum alternatiuæ Regulæ VIII. nunc IX. Cancellariæ Apostolicæ, cum non videatur esse illius ab hac discrepantia, Zerola in *praxi Episcop. par. 2. verb. Alternatiua. §. 1* ubi scribit, quod si vacet beneficium per affectationem secundi incompatibilis in mense Papæ, quod valeat alternativa, & non possit Episcopus conferre; ideò Episcopus, qui vult privare aliquem beneficio, sit cautus, ut faciat cadere privationem in mense suo, ad hoc, ut possit de illo disponere, ita Zerola *loc. cit.* quem sequitur *simonetta de reservat. quest. 99. num. 9 & seq. usque ad fin. Chokier in comment. ad reg. 8. cancell. num. 23. & gloss. 7. ad eandem reg. num. 2.* tamen iuxta eundem Chokier, qui satis ambigüè in hac materia de Concordatorum alternativa loquitur, verosimilius est, quod beneficia ipso iure vacantia, de quibus latè tractat dictus Chokier *cit. gloss. 7. ad reg. 8. num. 12. 13. & seq. & Barbosa de off. & potest. Episc. alleg. 57. num. 199. & seq.* sic sint affecta, seu reservata Papæ, ut etiam si vacent in mense Ordinario, non possit Ordinarius in Germania vigore Concordatorum ea conferre, sed solus Papa. Ideoq; beneficia hæreticorum etiam in mensibus Ordinariorum vacant soli Papæ, prout & beneficia vacantia ob non publicam tam intra tempus constitutum Resignationem, vel committam Simoniam; utpote sedi Apostolicæ reservata per Constitutiones Pij IV. & V. ac Gregorii XIII. Summorû Pontificum ea de re editas, de quibus vide *Branden ad Concordat. quest. 10. Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 51. num. 101. casu 24. & num. 102. casu 25. Piafec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 1. num. 5. Chokier loco præcit. à num. 20.*

Pij Papæ
4. Constit.
85. & Pij
Papæ 5.
Constit. 29.
& 85. nec
non Grego-
rij Papæ
13. Constit.
66. & 85.
Bullarij
30m. 2.

§. 23. Item & beneficia vacantia per promotionem ad Episcopatum Papa expressè sibi reservavit, tam per Constitutionem *Ad regimen. Concordatis Germaniæ incorporatam, sicuti ex iis de liquet supra. sub n. 3. uti sequitur, Rursus Monasteria, Prioratus, dignitates, personatus, Decanatus &c. etiamsi ad illa persona consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per Nos, seu auctoritate Nostrâ ad Patriarchalium, Archiepiscopaliû & Episcopaliû Ecclesiarum, nec non monasterios*

Beneficia
per promo-
tionem ad
Episcopatu-
m vacantia
summo
Pontifici
sunt reser-
vata.

naſteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de iſſis fa-
ctarum, nunc quocumque modo vacantia, aut impoſterum vacatura
&c. ordinationi, diſpoſitioni Noſtræ &c. reſervamus. quàm per
Regulam XXVI. Cancellariæ Apoſtolice. Quibus conformi-
ter deciderit Rota apud Branden ad Concord. quaſt. 12. notab. 3. &
Chokier ad reg. 24. alias 25. Cancell. num. 19. que decifio, ut in-
quit idem Chokier ibid. num. 24. notanda eſt pro Capitulis
Germaniæ, quæ plerumque eligunt Præpoſitum, vel Decanum
in Episcopum, & ab eo recipiunt renunciationem Præpoſi-
tæ, vel Decanatus, & eligunt alium Præpoſitum vel, Decanum.
Nam talis electio eſt nulla, & Decanatus, aut Præpoſitura ma-
net Pontifici reſervata, & poſſeſſio electi eſt vitioſa, Aegid.
decif. 498. cùm intra tempus electionis & confirmationis con-
firmandus reſignare minimè poſſit, tum ex ſupradicta Regula
XXVI. Cancellariæ, tum Conſtitutione Ad Regimen. Bran-
den ad Concord. quaſt. 7. num. 2. & 3. ac quaſt. 9. num. 1. & ſeq.
Chokier loc. præcit. & ad reg. 8. gloſſ. 11. num. 30.

Non tamē
beneficia
Episcoporum
titularium seu
ſuffraganeorum.

§. 24. Nota tamen hanc reſervationē nō procedere in Episco-
patibus titularibus in partibus infideliū existentibus, quales cō-
ferri ſolent aliorū Episcoporum in Pontificalibus vices-gerenti-
bus ſuffraganeis dictis; quia per illos non amittuntur alia be-
neficia, cùm non poſſint aſſequi poſſeſſionem ipſorum, nec per
illos ſtet, quò minus aſſequantur. Achill. de Graſſ. decif. 2. de elect.
num. 1. Granut. ad Simonett. quaſt. 27. de reſervat. num. 7. Na-
varr. lib. 1. conſil. 14. num. 3. de elect. Flamin. Pariſ. de reſignat. lib.
3. quaſt. 1. num. 9. & 89. & quaſt. 6. num. 49. Piaſec. in praxi Epi-
ſcop. proæm. num. 24. Leſſius de iuſt. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 27.
num. 139. Garcias de benef. par. 11. cap. 6. num. 24. Barboſa de off. &
potest. Epifc. par. 3. alleg. 57. num. 74. Layman Theol. moral. lib. 4.
trac. 2. cap. 8. ſub num. 4.

DVBIVM

D V B I V M II.

An beneficia monocularia comprehendantur sub Concordatis Germaniæ?

§. I.

Non immeritò hæc quæstio movetur, utpotè in qua acerrimos persæpè vidi litium conflictus inter provisos de eiusmodi beneficiis in mensibus Apostolicis vacantibus à Papa, vel eius in partibus Nuntio, & provisos ab Ordinariis, eorundem collationem in quovis mense sibi vendicantibus; cùm verosimile ipsis non videretur, Papam voluisse illos privare unico hoc lumine, quod eis vix semel in vita contingit, iuxta *tex. in Clemen. 1. de sentent. excommunicat. & gloss. in Clemen. 1. verb. incerta. de præben.*

Status & ratio huius quæstionis.

§. 2. Pro eius itaque intelligentia & resolutione notandum est, beneficium monoculare dici, quoties in Ecclesia unum duntaxat est beneficium, vel quoties collatori competit unius tantum beneficii collatio, *Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. beneficium. §. 4. Chokier ad reg. 8. cancell. gloss. 4. num. 5. Massobr. in praxi habent. concurs. ad parochial. prælud. 9. Rota decis. 13. aliàs 216. de præben. in nov.* Unde non diceretur beneficium monoculum, si quis habeat beneficii unius collationem tantum, & in alio præsentationem, vel si quis habeat collationem in uno solus, & cum aliis collationem in pluribus, u. g. Decanus quis, vel Canonicus sit unius duntaxat per se beneficii collator, habeat autem aliorum beneficiorum collationem cum Capitulo, vel saltem in turno suo, vice & ex parte Capituli, non erit is profectò collator monocularis, sed pluralis: satis enim est, quocumque modo plurium beneficiorum dispositionem habeat, actu, vel potentiâ *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 9. §. 4. num. 26. & 27. VVamecius consil. canonic. tom. 1. consil. 42. num. 7. Chokier loco citato. Rota decis. 40. aliàs 241 de rescript. in antiq.*

Beneficij monocularis explicatio.

§. 3. His prænotatis, Respondeo beneficia monocularia minime

*Beneficia
monocula-
ria non ex-
cipiuntur
à Concord-
atis.*

nimè excipià Concordatis Germaniæ, sed sub eorum alterna-
tiva reservatione indubitato contineri: ita ut in mensibus Apo-
stolicis vacantia rectè per Papam, vel eius in partibus Nuntium
conferantur absque ulla Ordinariorum iniuria. Siquidem
Concordata generaliter & plenissimè loquuntur de omnibus,
seu quibuscunque beneficiis; ita ut etiam tenuissima compre-
hendant, prout & Regula IX. Cancellariæ Apostolicæ, *Gar-
cias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 514.* in alternis mensibus
vacatura, ergò etiam comprehendunt monocularia, nam qui
totum dicit, nihil excludit. *l. testatorem. 68. ff. de legat. 3. VV a-
mesius consil. canonic. tom. 1. consil. 222. num. 6. sub. fin.* & reservatio
generalis suo ambitu complectitur omnia, & quantum ad
comprehensa sub ea, sic singula comprehendit, ac si essent spe-
cialiter enumerata, *l. 2. C. de quadriennii præscript. VV amesius
consil. canonic. tom. 2. consil. 596. num. 6.* Adeoq; in mensibus
Pontificiis tribuunt sedi Apostolicæ ius Ordinarium ea confe-
rendi, in quibus Ordinarii collatores nihil iuris prætere
possunt: imò nec conqueri valent se privari hoc unico lumine,
quia id non contingit omni tempore, sed duntaxat in mensi-
bus Apostolicis. *ita Gonzalez ad reg. 8. gloss. 9. §. 4. num. 15 & seq.
simonetta de reservat. quæst. 85. VV ames. consil. canonic. tom. 1. consil.
42. n. 6. & seq. & cons. 222. n. 6. in fin. Garcias de benef. part. 5. cap.
1. §. 11. num. 518. Chokier ad reg. 8. gloss. 4. nu. 5. ubi & sic se iudicasse
refert. Barbosa de offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 57. num. 180.*

*Imò n. c.
dignitates
monocula-
res.*

§. 4. Quin & à fortiori hoc sequitur, ex quo tam per Regu-
lam III. modò IV. & Regulam VIII. nunc IX. Cancellariæ Apo-
stolicæ, quàm Concordata Germaniæ reservantia Pontificiæ
collationi maiores dignitates in Cathedralibus post Pontifica-
lem, & principales in Ecclesiis Collegiatis in quovis mense,
etiam in quibus unica tantum est dignitas, eadem pariter Sedis
Apostolicæ dispositioni reservetur, *Flamin. Paris. de resignat.
lib. 7. quæst. 11. nu. 30 simonetta loco præcit. Gonzalez loc. cit. n. 19. &
seq. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 5. num. 267. & seq. Chokier ad
reg. 3. cancell. num. 23. ac 24. Barbosa de off. & potest. Episc. par. 3. al-
leg. 57. n. 102. qui de super plures adducunt Decisiones Rotales.*

§. 5. Nec Ordinarios iuvat, si allegent se esse in possessione,
& usu

& usu quasi immemoriali conferendi huiusmodi beneficia
 monocularia in utroque mense; non iuvat inquam, tum ob
 clausulam *Decreti irritantis* Concordatis adiectam, quæ tan-
 tæ est efficaciam & potestatis, ut liget etiam ignorantes, & in
 causis beneficialibus ipso iure inficiat titulum & possessionem,
 & omnes actus subsequentes in contrarium, ac tollat omnem
 potestatem conferendi: ita ut taliter provisi nullo iuris admi-
 niculo fulciantur, & ne coloratum quidem titulum habeant,
 etiam in iudicio possessorio summarissimo, *V ames. consil. canon.*
tom. 1. consil. 252. nu. 3. s. 5. & 6. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. s. 9.
à num. 407. per tot. Chokier cum pluribus citatis ad reg. 8. cancell.
gloss. 1. num. 5. sub fin. & gloss. 11. num. 8. & seq. & ad Preces primar.
ject. 5. s. 2. lit. M. Tum ob Constitutionem *Clementis VII.*
Pontificis Maximi contra Ordinarios, qui non servatâ formâ
Concordatorum Germaniæ, beneficia in mensibus Apostoli-
cis vacantia, etiam qualiacumque fuerint, conferre præsu-
munt, expressè editam, quâ decrevit huiusmodi collationes
sic factas, vel faciendas impostero, nullum titulum, vel co-
lorem ipsa beneficia possidentibus tribuisse, aut in futurum tri-
buere, sed illos pro malæ fidei possessoribus, & merè intrusis
ab omnibus haberi & centeri debere, ac fructus per eos ex bene-
ficiis huiusmodi perceptos & percipiendos nullo unquam tem-
pore suos facere, sed ad illorum restitutionem in utroque fo-
ro efficaciter obligatos esse; adeoq; illi Ordinarii tanquam
mali collatores teste Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. bene-
ficium. ad quest. secundum. ultra peccatum mortale in quod in-
cidunt, possunt graviter à summo Pontifice puniri, quia dant,
quod non habent, c. qui perfectionem. c. ventū est. 1. q. 1. & c. quo-
modo. de consecrat. dist. 4. l. si univ. s. 15. C. de legat. usurpantes
quod est alterius. contra illud Sic nos existimet homo, ut mini-
stros Christi, & mysteriorum Dei dispensatores, &c. & sic provi-
fos faciunt similiter manere in peccato mortali, si hoc ipsi sci-
unt, & reddunt obnoxios restitutioni fructuum perceptorum,
& aliis pœnis, hætenus Zerola. cui ad stipulatur Rovenius Rei-
pub. Christiana lib. 1. cap. 3. sub num. 3. dicens conferentem be-
neficium absque potestate teneri ad restitutionem, tam ipsum,
 quam

Nec posses-
 fio, aut
 usus con-
 trarius
 Concorda-
 tis Ordina-
 rios iurat.

Clem. Pa-
 pa 7. Con-
 stit. 47.
 Bullarū
 tom. 1.

1. Corinth.
 cap. 4. v. 1.

quàm eū, cui contulit, omnium fructuū perceptorum & damni illati Ecclesiæ, & insuper taliter provisum interdictum esse ab ingressū Ecclesiæ &c. Hinc nec prodest ulla cōtraria consuetudo, quæ contra Regulas reservatorias & Constitutiones Apostolicas est potius corruptela dicenda, ad excusandas excusationes in peccatis, quàm vera consuetudo: quin tãtò graviora sunt peccata, quantò diutius infelicē animā detinēt alligatam, ut discretè loquitur *text. in c. cum in Ecclesia. 9. de simonia. & c. quanto. 4. & c. ult. de consuet.* Vnde *Branden ad Concord. quest. 5. num. 21.* censet confessarios obligatos esse ad non absolvendum poenitentes, donec pareant, & Constitutionibus Apostolicis obedientiam præstent.

Quo! ab
Ordinariis
attendi
debet.

§. 6. Quæ si Ordinarii quidam collatores magis perpenderent, non tam inconsideratè subinde ad beneficiorum in mensibus Apostolicis vacantium collationes contra Concordata Germaniæ profilirent; sed de his latius *infra tit. 3. dub. 2. per tot.*

D V B I V M III.

*An Concordata Germaniæ capiant ea beneficia,
quæ vulgari titulo officia Ecclesia-
stica nuncupantur?*

Exponitur
status qua-
sitionis.

§. 1. I Nter alia argumenta, quibus Ordinarii quidam collatores elidere, seu potius eludere conantur Concordata Nationis Germanicæ, est & illud, quo beneficia in mensibus Apostolicis vacantia colorare solent titulo officiorum Ecclesiasticorum, existimantes ea sub Concordatorum alternativa non comprehendi.

Officia in
titulum
dari solita
compre-
hendantur
sub Conco-
rdatis Ger-
manicæ.

§. 2. Ad illud proinde *Respondeo* juxta receptam Canonistarum sententiam, officia Ecclesiastica, quæ in titulum non dantur, veluti est officium custodis, cellarii, Prothonotariorum, & his similia, nec non officia ea, quæ missarum aliquot onus annexum habent, ad nutum amovibilia, non cadere sub

sub reservationem Regulæ olim VIII. nunc IX. Cancellariæ Apostolicæ, aut Concordatorum Germaniæ; secus verò ea, quæ in titulum dari solent, licet simpliciter officia vocentur, cum in nihilo distent à beneficiis Ecclesiasticis *c. 2. §. cum verò. de concess. præben. & gloss. in Clem. fin. verb. si beneficiorum. de decimis. & apertè text. in c. fin. de concess. præben. in 6.* ubi post enumerationem eorum, quæ beneficia censentur, inter quæ & officia ponit, additur, & aliis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis. quæ dictio aliis est repetitiva similium *gloss. in c. sedes. 15. de rescript. Rebuff. in praxi. part. 1. tit. seculare beneficium quotuplex. num. 6. & de devolut. num. 73. Flamin. Paris. de resignat. lib. 2. quest. 1. num. 92. Hoieda de benef. incompatib. part. 1. cap. 8. num. 3. & part. 2. cap. 8. num. 9. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. §. 11. num. 5. & seq. Chokier ad reg. eandem. gloss. 1. num. 2. 9. & 24. & in comment ad reg. 33. aliàs 35. num. 45. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 142. & 143. ac seq. Et sic cum officia huiusmodi Ecclesiastica æquiparentur beneficiis, teste Flamin. Paris. de resignat. lib. 12. quest. 1. num. 36. non possunt aliam ab ipsis conditionem fortiri.*

§. 3. Quin nec refert, quo nomine beneficia nuncupentur, nam magis attendi debet natura rei, quàm simplex nominatio *arg. c. ea quæ. 16 de simonia. Hoieda de benef. incompatib. part. 2. cap. 8. num. 11. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. §. num. 17. & 18.* ad eòq; siue vocentur altaria, capellæ, aut oratoria, dummodò in titulum conferantur, hoc est, ad vitam titulati; quod potissimum ex fundatione, seu dotatione, vel Episcopi Diocesani erectione, institutione, siue approbatione liquet. *Clem. quia contingit. 2. §. ut autem. de religios. domib. c. quæ situm. 1. q. 3. Rebuff. loco primò cit. num. 15. Gonzalez ad reg. 8. gloss. §. n. 11. & ead. gloss. §. 4. num. 14 & 15. & §. 11. n. 5. & seq. Chokier ad eand. reg. 3. loco cit. quantumcumque etiã dos ipsis assignata sit simplex, veniunt beneficiorum appellatione, & sub reservationibus Regularum Cancellariæ, ac Concordatorum Germaniæ quæcumque beneficia Ecclesiastica in alternis mensibus vacantia comprehendentibus indubitato continentur, Sylvester verb. beneficium. n. 3. & eleganter Gomezius ad reg. de infirmis. quest. 23.*

Sive vocentur altaria, capellæ, oratoria, aut aliter

§. 4. At-

*Augmen-
tum aliud
contra Con-
cordata.*

§. 4. Annis porrò superioribus vidi nonnullos collatores Ordinarios, ut provisos Apostolicos excluderent, hoc ipsis potissimum opposuisse argumentum: scilicet beneficia, de quibus agebatur, esse tantum officia temporalia & manualia, ad nutum amovibilia, seu legata pia: ex quo fortè literæ erectionis in titulum per Episcopum factæ vel essent deperditæ, aut certè non invenirentur, & sic non constaret de perpetuitate tituli: adeoq; sub Concordatis, & Regulis reservatoriis non cadere, *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. 6. num. 9. Chokier ad eandem reg. 8. gloss. 1. num. 7.*

*Beneficia
Ecclesiasti-
ca præsu-
muntur
perpetua.*

§. 5. Verùm in ambiguo ejusmodi rerum statu scire juvat, de natura & conditione cujusque beneficii Ecclesiastici communiter esse, ut sit perpetuum, & in dubio perpetuum præsumatur, *c. unico. & ibi gloss. verb. perpetui. de capell. monach. in 6. & c. veniens. 5. de filiis Presbyter. Rebuff. in tract. de nominat. quest. 9. num. 25. vers. in contrarium me trahit. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. 6. num. 7. Vvames. in consil. canonic. tom. 1. consil. 229. num. 2. Rota part. 1. divers. decis. 508. num. 7.* Quin etiam in dubio semper præsumendum sit, in beneficii Ecclesiastici fundatione & erectione Episcopi Diocesani auctoritatem & consensum intervenisse, *Rebuff. in praxi tit. quid sit. & quot modis dicatur beneficium. num. 8 sub fin. ubi, capella fundata ad serviendum Deo, licet non appareat de approbatione Episcopi, præsumitur beneficium Ecclesiasticum. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. num. 50. Barbosa de jure Eccles. univers. lib. 3. cap. 5. num. 1. 2. 3. & 24. Rota apud Seraphin. decis. 871. num. 3. & cit. decis. 508. part. 1. divers. num. 7.* Adhæc perpetuitas & non temporalitas seu manualitas beneficii colligitur, ubi concurrunt cætera, quæ ad veri perfecti; Ecclesiastici beneficii naturam & subsistentiam requiruntur; ut estabilitas ex parte conferentis, & ejus cui confertur ex Ecclesiastica conditione idonea: ut nempe persona conferens sit Ecclesiastica, Episcopus, Prælati, vel Canonicus & c. & is cui providetur, sit clericus: item qualitas beneficio inhærens, quæ præcipua est, ut in titulum conferatur, *gloss. 1. in fin. Clem. 2. de decimis. ut sit perpetua, id est, ad vitam beneficiati c. Sanctorum. 70. distinct. 6. veniens. 5. de filiis presbyter. Rota præcit. decis. 508. num. 3. & seq. part.*

part. 1. divers. & apud Gregor. XV. decis. 48. num. 6. Et denique canonica institutio, per quam quis in hanc perpetuitatem velut investitur. Sunt enim hæc signa, & velut symbola veri Ecclesiastici spiritualizati & perpetui beneficii; Ioan. de Selva. tract. de benef. part. 1. quæst. 1. Hoieda de benef. incompatib. part. 2. cap. 8. num. 10. VVamesius in consil. canon. tom. 1. consil. 229. num. 2. Layman Theol. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 5. sub num. 6. Itaque dum constat de diversis successive collationibus, provisionibus & institutionibus usque ad vitam beneficiati factis, iudicandum est illa beneficia habere veram rationem Ecclesiastici perpetui beneficii; præsertim dum sic sunt conceptæ, ut nullo modo possint intelligi factæ de manualibus aut temporalibus beneficiis, aut officiis; eoq; magis, si expressa sit, expressimq; adjecta formalis perpetuitatis appellatio, quæ non patitur hæc beneficia alio jure censerî, quàm denominatio demonstrat, l. labeo. 7. ff. de suppell. leg. VVames. loc. cit. Garcias de benef. part. 1. cap. 2. num. 113. Ad quam perpetuitatem & inhærentem perpetui beneficii Ecclesiastici qualitatem coadjuvandam concurrere quoque possunt alia, quæ de hisce officiis Ecclesiasticis provisus cum quotquot aliis in iisdem Ecclesiis perpetuis beneficiatis ex æquo, aut saltem cum parvo discrimine forsan sunt communia, & quæ non nisi similibus competunt, videlicet idem habitus Ecclesiasticus choralis, stallum in choro, eadem in officio Divino functiones, fructuum atque emolumentorum perceptio; quibus notis cum aliis perpetuis beneficiatis paribus, non imparia censerî debent horum beneficia, VVamesius loc. cit.

§. 6. Præterea beneficium de sua natura manuale fieri potest perpetuum consuetudine, vel præscriptione; maximè, si eiusmodi consuetudo, vel præscriptio processerit à tempore, quo sciente & patiente illo, qui ius removendi prætendit, fuit aliquis provisus in titulum perpetuum, & talis provisio habuit effectum, Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 6. num. 34. & seq. Chokier in comment. ad reg. 37. alias 39. cancell. num. 11. D'Aluin. in trac. de Episcop. potest. cap. 6. num. 1. & cap. 17. num. 4. Barbosa de iure Eccles. univ. lib. 3. cap. 5. num. 23.

Quin & manualia possunt fieri perpetua.

K

5. Bo.

Beneficii
perpetui
rationem
non minu-
it iusta be-
neficiati
amotio.

§. 7. Beneficii porrò perpetui rationem non minuit, quamvis beneficiati, meritis ipsorum id exigentibus, amoveri queant; cùm accidentaria hæc iusta de causa amovendi potestas regulariter rei naturam, conditionem & substantiam non immutet. Nam ut perpetuum fit & censeatur beneficium, satis est, quod in voluntate & potestate beneficiati sit, ut quamdiu vivit, possit esse perpetuus Rector; eo enim modo accipitur perpetuitas beneficium, *c. unico. de capell. monach. in 6. & gloss. in verb. perpetuas. in c. finali de rescrip. eodem 6.* Vnde in casu huius concessæ amotionis non tam voluntas amoventium, quàm factum eius qui amovetur, in consideratione habetur: siquidem in vera & propria manualitate & amovibilitate nulla fit cõsideratio volûtatis, seu facti ipsius beneficiati, sed ipsius superioris, qui sic suo nutu ex solo voluntatis arbitrio constitutum in officio vel beneficio amovere, & inde avocare potest. *c. cùm ad monasterium. 6. §. tales. de statu monach. & c. 2. §. priores. eod. tit. & Clem. 1. de suppl. neglig. Præl.* Imò licet beneficiati in receptione sua iurent se beneficio cessuros ad nutum collatoris, seu potestatem amovendi habentis: id accipiendum est de amotione ex iusta & rationabili causa; quæ amotionis facultas perpetuitati beneficium non derogat. *VVamesius præcit. consil. 229. num. 3. & 4.* quæ pro hoc incidenti sufficiant. Idcirco in beneficiis ultimus status attendi debet, an ad vitam beneficiati consueverint conferri, *VVamesius in consil. canon. tom. 1. consil. 257. n. 9.* ex ea enim ratione censebuntur beneficia perpetua Ecclesiastica. *Hoieda de benef. incompatib. part. 2. cap. 8. num. 15.*

DVBL

de Falcon. de reservat. quest. 3. principali. num. 8. Et eo ipso, quod beneficium sit de novo creatum, post ipsam creationem Regulæ reservatorix & Concordata subintrant, ut proinde non sit dubium, ut dicit Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 9. §. 5. num. 44. & seq. quin sub iis comprehendatur. Tum quia, quando reservatio est generalis & favorabilis, non autem specialis, nec pro certa persona, sicut in casu nostro Concordatorum, reservatio capit beneficia postea erecta, ut firmanant Lopus in c. si propter tua. num. 4. vers. sed contra quia. de rescript. in 6. Aeneas de Falcon. loc. cit. Mandosius in reg. 3. cancell. q. 7. num. 21. vers. contraria opinio est verior. Vbi concludunt, quod quando reservationes sunt per formam Constitutionum, Legum, seu Regularum, non est in consideratione nova creatio. Huc accedit, quod cum Concordata capiant quæcumque beneficia in alternis mensibus vacantia, ideoque quamvis adsit ista qualitas novæ creationis, aut erectionis, nihilominus sub ista generalitate quorumcumque beneficiorum includitur; sufficit enim quod sit actu beneficium, licet ante, vel post Concordata fundatum & erectum. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 9. §. 5. à num. 44. usque ad fin. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 519 & seq. V Vamesius consil. canonic. tom. 3. consil. 242. num. 4. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 34. in fin. Chokier ad eandem reg. 8. gloss. 4. num. 9. & seq. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 81. Zoefius ad lib. 3. Decretal. tit. 5. num. 27. qui accurate hanc materiam pertractant.

Responde-
tur ad ar-
gumenta
contraria.

§. 3. Nec obstant in contrarium supra adducta, quia procedunt in reservationibus specialibus pro certis personis, uti in terminis dictæ Clem. finalis de rescript. Vbi gratia seu reservatio facta ad favorem certæ personæ de beneficio vacaturo, non se extendit ad beneficium post datam gratiæ erectum, quia tunc cum talis reservatio sit ambitiosa & odiosa, ac restringenda. quamvis plenissima. 4. de preben. in 6. merito non extenditur ad futura, & de novo creata beneficia. Gregor. Tholosæ. trac. de benef. cap. 17. n. 1. ad quæ nec preces primariæ extēdūtur. Chokier in comment. ad easdē. sect. 2. vers. super singulis beneficiis. n. 11.

Quæ

Quæ omnia cessant in reservationibus nostris, quæ non sunt speciales, nec pro certa persona, sed generales, & per viam legis & pacti ob publicam utilitatem, pacem, & unionem, ideoq; favorabiles & ampliandæ, *Gonzalez & Chokier locis citatis, ac VVamesius ibidem.*

§. 4. Quamvis verò *Garcias loco supra citato num. 520.* teneat beneficia noviter creata & erecta cadere sub Regulis reservatoriis, dicit tamen id non procedere in ipsa prima vacatione per creationem & erectionem, sed in vacationibus succedentibus post primam provisionem: durum enim videretur, & à mente Papæ longè alienum, quod si in mense Apostolico crearetur, seu erigeretur beneficium per Ordinarium, quod non esset de jure patronatus laicorum, Ordinarius ipse non posset illud conferre pro prima vice, nec patronus Ecclesiasticus præsentare; nihilominus *Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 9. §. 5. num. 50.* contrarium tuetur, nempe tale beneficium venire sub Regulis reservatoriis, etiam in prima vacatione per creationem & erectionem. Magis tamen placet prior sententia, ne fundatores à foundationibus beneficiorum arceantur, si simul atque creata essent, in mense videlicet Apostolico, provisus Apostolicis deberentur.

§. 5. Ad alteram dubii partem veniendo *Respondeo secundo,* hujusmodi foundationes beneficiorum perpetuam in quovis etiam mense collationem Ordinariis reservantes, excluso Summo Pontifice, de jure fieri non posse, & si quæ tales sunt, ipso facto improbatas esse, & minimè attendendas: adeoq; nec impedire, quò minus ea beneficia sub alternativa Concordatorum Germaniæ, seu reservationibus Regularū Cancellariæ Apostolicæ, dum in mensibus Pontificiis vacare contingit, comprehendantur, præsertim si sint juris patronatus Ecclesiastici; talis enim conditio est contra naturam substantialem beneficii; siquidem Papa ex vi primæ jurisdictionis & potestatis disponendi de beneficiis à principio non Apostolis, sed S. Petro illorum Principi à Christo datæ, est collator supremus & universalis omnium beneficiorum in urbe & orbe, seu libera sint, seu non libera, aut electiva *c. 2. de prabem.*

Excepta tamen prima vacatione per erectionem.

Nequit in foundatione beneficii ejus collatio revari Ordinario in omni mense, excluso Papa.

praben. in 6. Clem. 1. ut lite penden. Quia ipse est supremus dispensator bonorum Ecclesiasticorum, & superior omnium Clericorum, & Episcoporum, atque *Ordinarius Ordinariorum*, five *Episcopus Episcoporum*, sicuti antiquitus appellari solitus erat juxta *Baronium ad annum Christi 142. num. 4. & ad annum 216. num. 4. & Severinum Biniuum in notis Concilii Carthaginensis sub Cypriano Episcopo*; conformiter gloss. in c. felix. 5. verb. *privata. de pænis in 6. c. cuncta per mundum. & c. per principalem. 9. q. 3. Flamin. Paris. de resignat. lib. 2. quest. 4. num. 34. VVames. in consil. canon. tom. 1. consil. 246. num. 1. Chokier in comment. ad reg. 8. num. 3. 4. & seq. Layman Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 10 sub num. 1. Ut proinde ab illius jurisdictione generali, & potestate collativa nullum beneficium eximi possit, utpotè quæ nullis legibus aut regulis coarctatur: ideoq; Papa vocatur *Deus in terris circa beneficialia*, *Gonzalez ad reg. 8. §. 1. proæm. num. 31. 32. 33. 34. 35. & seq. VVames. in consil. canon. tom. 1. consil. 241. num. 3.* Hinc licet quis sit rerum suarum arbiter & moderator, l. in re mandata. 21. C. mandati. nemo tamen facere potest, quin jura de super statuta locum habeant. l. nemo. 55. de legat. 1. & c. requisivisti. 15. de testament. ibi *Privata dispositio testatoris non potest generalem Constitutionem canonis immutare*, *Flamin. Paris. de resignat. lib. 7. quest. 14. num. 3. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 5. num. 42. & 43. cum aliis ibidem citatis. Piafeci in praxi Episcop. part. 2. cap. 3. art. 5. de visitat. beneficiorum & c. num. 5. VVamesius in consil. canonic. tom. 1. consil. 231. num. 7. & consil. 252. num. 11. Rota decis. 10. alias 868. num. 1. & seq. de testament. in antiq. & apud Gregor XV. decis. 4. num. 9. & 10. & apud Duran decis. 406 n. 6. part. 2.* Præterea Papa reservando generaliter, uti in *Regulis Cancellariæ Apostolicæ*, & *Concordatis Germaniæ*, derogat omnibus juribus, statutis, & consuetudinibus in contrarium: ita ut eiusmodi fundationes nec fieri, aut factæ subsistere possint, *Chokier ad reg. 8. gloss. 1. num. 5. Rota apud Duran loc. cit. num. 10.* Sed nec fundator præjudicare potest juri *Ordinariæ collationis*, quod *Episcopus* habet in omnibus beneficiis suæ *Dioecelis*, c. sic quidam. & c. noverint. 10. q. 3. *Flamin. Paris. loc. cit. nisi ipso consentiente & patiente. Sanchez consil. moral. tom. 1. lib. 2. cap. 1. dub. 10. num. 4. nam**

inferio-

inferiores Episcopo non habent potestatem conferendi, nisi de consensu Episcopi, c. ex frequentibus. 3. & c. cum venissent. 6. de institut. Gonzalez ad reg. 8. §. 1. proæm. num. 12. vel ex privilegio Papæ.

DVBIVM V.

An sub Concordatis comprehendantur beneficia Iuris patronatus?

§. 1. **P**ætuppono ex communi DD, sententia, *Ius patronatus* hic non accipi pro eo, quod jure Civili habet patronus in servum à se manumissum, de quo extat tit. in ff. de iure patron. & in C. de bonis libert. Sed quod beneficio sacrorum Canonum illis tributum est, qui vel fundarunt, vel construxerunt, vel dotarunt Ecclesiã, sive ipsi, sive alii à quibus causam habent, c. quoniam. 3. de iure patron. & propriè dicitur *potestas presentandi instituenti ad beneficium Ecclesiasticum vacans.*

Sensus vocabuli Ius patronatus.

§. 2. Est autem hoc jus duplex: aliud enim est *Ius patronatus Ecclesiastici*, aliud *Laici*, c. unico. de iure patron. in 6. & c. cum autem. 24. X eodem tit. Addunt aliqui *mixtum. ius patronatus Ecclesiastici* juxta Covarruviam in practic. quest. cap. 36. sub num. 2. dicitur, non quod Ecclesiasticus possidet (is enim etiam laicum patronatum possidere potest) sed quod competit alicui ex eo, quod ex bonis Ecclesiasticis Ecclesiam fundavit, vel extruxit, vel dotavit, vel quod habetur ratione Rectoratus Ecclesiæ, aut dignitatis Ecclesiasticæ; ut si quis fundaverit Ecclesiam, id est, si tribuerit fundum, in quo ædificata est; si eam extruxerit, vel dotaverit, si beneficium pecuniã ex bonis Ecclesiasticis perceptã crexerit, habet jus patronatus Ecclesiastici. Item si quis habeat jus presentandi quã Episcopus, Abbas, Præpositus, Decanus, Scholasticus &c. hoc jus est patronatus Ecclesiastici. *Ius patronatus laici* dicitur, quod competit alicui, quia ex bonis patrimonialibus, seu sæcularibus Ecclesiam fundavit,

Ius patronatus duplex.

fundavit, vel construxit, vel dotavit, aut beneficium aliquod erexit, aut quia ab aliquo horum causam habuit; nec refert, an sit Clericus, nam equidem inter patronos laicos censetur, si hoc jus nactus fuerit ratione proprii & sæcularis patrimonii, seu quasi patrimonii, *gloss. in Clem. 2. verb. presentare. de iure patron. Covarr. loc. cit. Flamin. Paris. de resignat. lib. 2. quest. 4. num. 39. 40. & 41. Lessius de iust. & iure. lib. 2. cap. 34. dubit. 4. per tot. Vallensis in paratit. Decretal. lib. 3. tit. 38. §. 2. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 72. num. 152. super quo extat hic verliculus vulgaris.*

Patronum faciunt dos, edificatio, fundus.

*In ejus
creatione
Episcopi
Diocesani
consensus
necessa-
rius.*

§. 3. Quod intellige mediante Episcopi Diocesani consensu, qui in his intervenire debet, *c. illud. 8. c. cum seculum. 13. & c. nobis. 25. de iure patron. ubi gloss. 1. Rota part. 1. recent. decis. 517. num. 3. & part. 2. decis. 337. num. 4. & 5. & apud Manticom. decis. 86. num. 5. atque apud Gregor. XV. decis. 420. num. 1. & in addit. num. 7.*

*Patrona-
us laicus
possit fieri
Ecclesi-
asticus.*

§. 4. Si tamen patronatus laicus donatione, vel testamento, vel alia ratione transferatur in Ecclesiam, Capitulum, Collegium Canonorum, vel Monasterium, vel annectatur alicui beneficio, aut dignitati, v. g. Præposituræ, Decanatu &c. tunc fit patronatus Ecclesiasticus, & de illo tanquam Ecclesiastico est judicandum; colligitur ex *c. unico. de iure patron. in 6. Covarr. supra num. 5. & præter alios præcitatos, Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 18. num. 5. 6. & 7. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. beneficium. §. 9. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 553. V Viggers. de iure & iust. tract. 7. cap. 3. dub. 2. sub num. 9. Zypaus in Consultat. Canon. lib. 3. consultat. 1. de iure patronatus. Rota part. 2. recent. decis. 740. num. 2.*

*Patrona-
us confra-
ternita-
tum laico-
rum censetur
laicus.*

§. 5. Verùm jus illud præsentandi, quod competit quibusdam confraternitatibus, vel sodalitatibus, quæ aliquam cappellam, vel beneficium collatis symbolis, vel aliter instituerunt, censetur esse patronatus laici, quia ipsi laici sunt, & ex bonis sæcularibus instituerunt: unde de illo tanquam de laicorum patronatu judicandum, quamvis ipsi in quibusdam locis Ecclesiæ vocentur. *Covarr. supra num. 8. Lessius loco præcit.*

num.

num. 21. licet *Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 607.* contrarium tueatur, nimirum esse patronatum Ecclesiasticum, de quo, si placet, ipsum consule.

§. 6. Denique *ius patronatus mixti* dicitur, quod partim ratione patrimonii, partim ratione Ecclesiæ competit. Tametsi autem de rigore juris laicus *ius patronatus*, de quo hic agimus, habere non possit, cum sit spirituale, seu potius temporale spirituali annexum *c. de iure. 16. de iure patron. c. quanto. 3. de iudicijs.* (antecedenter scilicet, quia ordinatur ad præsentandum clericum ad beneficium, ut in eo instituat) & laicus spiritualia tractare nequeat, *c. decernimus. 2. de iudicijs. c. causam. 7. de prescript.* tamen ex benignitate quadam à sacris Canonibus conceditur illi hoc jus, remunerationis cujusdam causâ, ut hæc ratione magis excitentur laici ad fundandas, extruendas & dotandas Ecclesias, *V allensis in paratit. Decretal. lib. 3. tit. 38. §. 2. num. 3.*

Ius patronatus mixti explicatur.

§. 7. His præsuppositis, *Respondeo primo*, beneficia juris patronatus Ecclesiastici comprehenduntur tum sub Regula IX. Cancellariæ Apostolicæ, tum sub Concordatis Germaniæ; prædicta enim Regula Cancellariæ complectitur omnia beneficia Ecclesiastica qualitercumque qualificata, ubicumque existentia, in mensibus reservatis vacatura; Concordata autem loquuntur de omnibus omnino beneficiis, quorum ad inferiores pertinet collatio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio: unde clarum est, quod capiant beneficia juris patronatus Ecclesiastici absque ulla alia expressione. *c. dilectus. 6. de off. legati. c. cum dilectus. 28. de iure patron. Covarr. loco cit. num. 2. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 18. num. 6. Piasec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 1. num. 40. vers. iure patronatus & c. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 552. & seq. V Vamesius consil. canonic. tom. 1. consil. 252. num. 11. Chokier ad reg. 8. gloss. 8. num. 1. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 257. V allensis in paratit. Decretal. lib. 3. tit. 38. §. 3. num. 5. Layman Theol. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 11. num. 2. Zypæus in consultat. canonicis lib. 3. consultat. 1. de iure patronatus, Rota decis. 740 num. 2. part.*

Beneficia iuris patronatus Ecclesiastici comprehenduntur sub Concordatis Germaniæ.

2 part. 2. recent. & apud Duran decis. 406. num. 5. part. 2. Et proinde monet idem *Garcias loco cit.* in impetratione beneficii juris patronatus Ecclesiastici non esse necessariam illius mentionem.

Minimè
verò bene-
ficii iuris
patronatus
laici.

§. 8. *Respondeo secundo*, beneficia juris patronatus laici non comprehenduntur sub Regula IX. Cancellariæ Apostolicæ, aut Concordatis Germaniæ sicut nec sub aliis quibuscumque reservationibus generalibus, *gloss. in c. 2. verb. collatio, de preben. in 6.* Ratio est, quia cum patroni laici non titulo Ecclesiastico, sed quasi proprio dominio, & titulo oneroso, scilicet foundationis, constructionis, vel dotationis, & sic quasi per viam pacti & contractus de consensu Ecclesiæ jus illud possideant, certum est Papam non intendere ejusmodi beneficia reservare, & laicis jus suum tollere, vel illi in aliquo derogare, ne ipsi ab impendendis Ecclesiæ obsequiis, sumptibus & favoribus abalienentur; quod Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 9. de reform.* expressè cavit his verbis. *Legitima patronatum iura tollere, piasq; fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est.* Secus autem in jure patronatus Ecclesiastici, quia in eo cessat prædicta ratio, & facilè eidem præjudicatur, etiam per simplicem collationem à Papa factam absque ullius derogationis expressione. *Covarr. in practic. quest. cap. 36. num. 2. 3. & seq. Flamin. Paris. de resignat. lib. 2. quest. 4. num. 35. 36 & seq. Piaset. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 1. sub num. 40. VVamesius consil. canonic. tom. 1. consil. 255. num. 13. & 14. Lessius de iust. & iur. lib. 2. cap. 34. dubit. 9. num. 37. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 571. VViggers de iure & iust. tract. 7. cap. 3. dub. 3. num. 13. 14. & 15. Chokier ad reg. 8. cancell. gloss. 1. num. 3. & gloss. 8. per tot. & ad preces primarias sect. 2. lit. Q. vers. presentationem. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 25. 26. & seq. & num. 144. & 257. Layman Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 10. sub num. 3. & cap. 11. num. 2.*

Etiamsi
vacent a-
quibus Sedè.

§. 9. Hinc non impeditur patronus laicus à sua præsentatione, etiamsi contingat beneficium vacare apud Sanctam Sedem *Covarr. & VViggers loco cit.* nisi Papa nominatim hujusmodi patronatus derogarit.

§. 10. Imò

§. 10. Imò nequidem comprehenderetur, licet in literis Apostolicis poneretur hæc, aut similis clausula, *ad cuiuscumque patroni præsentationem pertineat*, qualis habetur in Regula IX. Cancellariæ Apostolicæ; nam illa dum adscribitur, apponi solet, quòd Papa significet se cuiuslibet Ecclesiastici patroni juri derogare, quia Ecclesiastici patroni etiam multi sunt, & diversi Ordinis. Quapropter etiam antiqui Canones cum minimo, quo fieri potuit præjudicio, voluerunt emendari mala, quæ occasione difficultatis inter patronos contigisset Ecclesiis obvenire, non autem facilè ad privationem, aut derogationem juris ipsorum volunt procedi, ut *c. si verò. 12. c. quæcumque Ecclesia. 2. de iure patron. Covarr. Gonzalez, Vviggers locus cit. & Garcias ibidem num. 572.*

Ne quidam si ponatur verba ad cuiuscumque præsentationem

§. 11. His addo, quod etiam si in literis collationis expressè ponatur hæc clausula derogatoria, *Non obstante, quod beneficium sit patronatus laici*. non tamen per hoc censetur derogatum juri patronatus laici illustrium videlicet personarum, ut Regum, Ducum aut Marchionum &c. si forsan tales sint patroni illius beneficii, quia ut ipsis derogetur, debet id ipsum nominatim exprimi, juxta Regulam nunc XLII. aliàs XL. Cancellariæ Apostolicæ, *Chokier ad eandem, & ad preces primar. sonarum. sect. 2. lit. 2. Vviggers loco præcitato.*

Imò nec clausula expressa derogatoria exten- ditur ad ius patronatus laicum illi- brium per- sonarum.

§. 12. Proinde generaliter loquendo, Papa nunquam censetur in dubio velle præjudicare, aut derogare juri patronatus laici, nisi utendo supremâ & absolutiore potestate id exprimat, *gloss. & DD. in c. cum dilectus. 28. de iure patron.* quâ non facilè utitur citra magnam necessitatem, & commune Ecclesiæ bonum; quia quæ ex contractu, aut quasi contractu, & præsertim oneroso concessa sunt, non possunt citra necessitatem immutari, *Vvamesius dicto consil. 255. num. 13. & Vviggers supra num. 15.* Qualis expressio non est necessaria, ut censetur derogatum juri patronatus competentis Clericis, seu Ecclesiasticis personis, in quas, uti major est Pontifici potestas, ita quoque in gravando illas proclivior voluntas: ideoquæ nisi illarum beneficia specialiter excipiantur, censentur semper contineri sub gratiis Papalibus, sub quibus ex adverso

Et Papa nunquam derogare censetur juri patronatus laici, nisi id exprimat.

non intelliguntur comprehendi beneficia juris patronatus laici, nisi peculiariter cum eius derogatione exprimentur. *VVamesius loc. cit.*

In benefi-
ciis mino-
ribus va-
cantibus a-
pud S. Se-
dem, non
solum no-
minatio
spectat ad
patronos
laicos, sed
etiam in-
stitutio ad
Ordina-
rios Dicc-
esanos.

§. 13. Sed petes, an beneficia, in quibus præsentatio ad patronum laicum spectat, si vacaverint apud Sedem Apostolicam, ita à *6. licet. 2. de præben. in 5.* eximantur, ut non solum patronus nominare, seu præsentare ad ea clericos possit, sed etiam jus instituendi ad locorum Ordinarios pertineat. Respondet auctor glossæ *in reg. 40. aliàs 42. Cancell.* nominationem quidem esse patronorum laicorum, sed institutionem Romano Pontifici reservari, quod tamen *Covarr. in præben. quest. cap. 36. num. 5.* censet tantum locum habere in Episcopatibus, Abbatibus, & cæteris dignitatibus, quæ Pontifici per *II. & III.* nunc autem *III. & IV.* Regulam Cancell. Apost. cessantibus Concordatis, reservantur, non autem in beneficiis minoribus, quorum præsentatio ad patronos laicos pertinet; in his enim & jus nominandi ad ipsos patronos spectat, & jus instituendi ad locorum Ordinarios Episcopos Diocesanos. ita cum dicto *Covarr. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 9. num. 37. VViggers ibidem tract. 7. cap. 3. num. 17. Chokier ad reg. 40. aliàs 42. cancell. num. 26.*

Beneficia
quoque
iuris pa-
tronatus
mixti non
cadunt sub
Concorda-
tis Germa-
nicis.

§. 14. Verum quid in tertia juris patronatus specie? videlicet *mixto*, hoc est, partim *laico*, partim *Ecclesiastico*; an cadat sub dispositione Regularum Cancellariæ, vel Concordatorum Germaniæ? videtur opinio negativa probabilior: nam in favorabilibus potius est attendenda qualitas laicalis, ne laicus propter Clericum perdat suum privilegium, hoc enim æquum est, ut in re individua non patiat quis præiudicium ratione societatis, quæ illi cum altero communis est; & ideo tale ius patronatus mixtum non subiacet reservationibus generalibus: imò nec precibus primariis. *Covarr. in præben. quest. cap. 36. num. 5. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 18. num. 12. & seq. VVamesius in consil. canon. tom. 1. consil. 255. sub num. 15. Piafec. in præxi Episc. part. 2. cap. 5. art. 1. sub num. 40. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 9. num. 30. Chokier ad reg. 8. gloss. 1.*
sub

sub num. 3. & gloss. 8. num. 1. & ad preces primar. sect. 2. lit. 2.
Barbosa de off. & potest. Episc. alleg. 57. num. 27. 144. & 257.

§. 15. Quod tamen iuxta præcitatos auctores limita primò, dummodò patroni laici habeant maiorem, vel saltem æqualem partem vocum in dicto iure patronatus: secus autem, si pars vocum patronorum Ecclesiasticorum esset maior & potentior, ac præponderaret vocibus laicorum, veluti si ius patronatus ad unum laicum, & duos Clericos spectaret, vel si ad Decanum alicuius Ecclesiæ, & ad Priorē Monasterii, atque ad Præto-
torem laicum certi loci pertineret, tunc enim attenditur maior pars prædominans, cum semper à potentiore fiat denominatio l. queritur. 10. ff. de statu hom. & DD. supracitati.

Dummodò patroni laici habeant maiorem, vel saltem æqualem partem vocum.

§. 16. Limita secundo, dummodò ius patronatus mixtū, imò etiā laicū solū cōpetat ex fundatione, constructione, seu dotatione, vel donatione facta ab habente illud ex aliquo de prædictis titulis. Nā reliqui patronatus competentes ex præscriptione, cōsuetudine, vel privilegio, aut usurpatione, aut alio quocumque modo, non exciperentur à reservationibus Pontificiis, Les-
sus de iust. & iure. lib. 2. cap. 34. dubit. 9. num. 42. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 573. Chokier ad reg. 8. cancell. gloss. 1. num. 5. & gloss. 8. num. 2. nec non ad preces primar. sect. 2. lit. 2.
Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 28.

Es alias ius patronatus laicum cōpetat ex fundatione, cōstructione, seu dotatione &c.

Tum quod tales patronatus sint hodie prorsus sublatis per Concilium Tridentinum sess. 14. de reform. cap. 12. & sess. 25. de reform. cap. 9. Tum quod etiam ante Concilium Tridentinum includerentur sub reservationibus Papalibus, quia tales patronatus censentur verè Ecclesiastici, utpote ex Ecclesiasticis originem trahentes; cum laici isti nihil in Ecclesiam contulerint. Covarr. Lessius supra. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 582. Chokier & Layman locis citatis.

§. 17. In dubio tamen, quo constat quidem Clericum fundasse aliquod beneficium Ecclesiasticum, ignoratur autem ex quibus bonis illud fundaverit, an de acquisitis intuitu Ecclesiæ, ut dicatur de iure patronatus Ecclesiastico, an de propriis patrimonialibus, seu quasi patrimonialibus, ut dicatur de iure patronatus laicali; si patronus lai-

Ius autem patronatus laicum in dubio censetur, dum laicus est in possessio-

suo, secus
vero minime.

cus sit in quasi possessione huiusmodi iuris patronatus, tunc præsumit laicale, & fundatum ex bonis propriis & patrimonialibus; sin autem aliter, præsumi Ecclesiasticum & fundatum ex bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ censet *Gonzalez, loc. cit. num. 109. & seq.* à quo non discrepant *Garcias supra num. 594. ac Vallensis in paratit. Decretal. lib. 3. tit. 38. §. 2. num. 2.* dicentes, quando non apparet, quâ ratione competat ius patronatus, attendi ius successionis: nam si per successionem deferatur, præsumi laicum, quia iura Ecclesiastica iure successionis non deferuntur, nec dantur. *c. i. de præben.*

Hæres fû-
datoris pe-
tost sibi re-
servare
ius patro-
natus.

§. 18. Denique hîc notare placeat, quod dum testator ultimæ voluntatis suæ elogio pro fundatione perpetui beneficii Ecclesiastici legat dotem sufficientem & certam, seu ex bonis suis cupit illud dotari, & hæres conformiter dictæ dispositioni id ipsum exequitur, potest sibi reservare ius patronatus; quia testator iubendo, quod beneficium Ecclesiasticum dotetur & erigatur, si hæres hoc faciat, poterit reservare ius patronatus, cum repræsentet eandem personam defuncti, *Rota apud Seraphim. decis. 871. num. 2. ibidemq; sub num. 4.* res non minus notatu digna additur, quod nimirum patronus de consensu Ordinarii Diocesani possit pro una vice ad beneficium præsentare eum, qui nõ habet omnes qualitates in fundatione appositas.

DVBI.

DVBIVM VI.

An sub Concordatorum alternativa comprehendantur beneficia Curata?

§. I. **R**espondeo indubitatum esse, quin beneficia curata comprehendantur sub alternativa Concordatorum Germaniæ, ex verbis generalibus, *De cæteris verò dignitatibus & beneficiis quibuscumque secularibus & Regularibus &c.* Id enim importat vis & potestas universalis huius dictionis *Quibuscumque*, ut omnia omninò beneficia completatur, etiam præter expressa, & ad quæ aliàs nō extenderetur c. *solitæ. 6. §. nobis autē. de maior. & obed. Paulus Paris. vol. 1. consil. 92. nū. 7. VVames. in consil. canon. tom. 1. consil. 255. num. 19. Francisc. leo in thesau. fori Eccles. part. 1. cap. 15. num. 60. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 8. num. 61. Chokier in comment. ad reg. 19. aliàs 20. de non impetr. benef. per obit. vivent. num. 11. Rota decis. 680. num. 5. part. 2. recent. & apud Seraphin. decis. 980. num. 8. apud Gregor. XV. decis. 267. num. 5. & in addit. num. 12. nec non apud Duran. decis. 233. num. 12. part. 3. non secus, ac dictio *omnia c. si Romanorum. vers. dicendo verò omnia. dist. 19. Paul. Paris. loc. cit. num. 6. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 6. num. 20. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 101. num. 39. Et qui omnia dicit, nihil excipit, l. restatorem. 68. in princip. ibi pr adium Seianum omne. ff. de leg. 3. latè Gonzalez loc. proxime cit. num. 21. & seq. ubi dicit, quod licet Regulæ olim VIII. nunc autem IX. Cancellariæ Apostolicæ non forent addita ista verba *cum cura & sine cura*, equidem ex sola universali dictione *omnia beneficia Ecclesiastica* comprehenderentur curata; quod & confirmat *Garcias de benef. part. 5. cap. 2. §. 11. num. 508.* ideoq; tantùm adiecta esse maioris claritatis gratiâ, ut proinde nil certius sit, quàm beneficia curata sub Concordatis Germaniæ cadere, *Layman Theol. moral. lib. 4.***

Beneficia
curata ca-
dunt sub
Concordati-
onibus Ger-
maniæ.

trac. 2. cap. 10. num. 3. Zypæus in analyt. iur. Pontif. nov. lib. 1. tit. de elect. num. 15. Rota apud Cavaler. decis. 572. num. 1.

Requisita
ad benefici-
um cura-
rum.

§. 2. Ut beneficium porro dicatur curatum, seu Ecclesia Parochialis, inter alia substantialia concurrere debent infra-scripta. Primò requiritur potestas ligandi & solvendi in foro pœnitentiæ, quæ non cadit nisi in sacerdotem, c. in novo. dist. 21. c. omnis 12. de pœnit. & remiss. idq; ex necessitate ratione oneris ipsi imposita. gloss. in Clem. dudum. 2. verb. impendant. de sepultur. & ibi DD. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 6. num. 35. Chokier ad eandem reg. gloss. 2. n. 1. Secundò, ut sit certa parochia, & locus certis finibus & limitibus constitutus ac designatus, in quo populus alicui Ecclesiæ deputatus degit, c. Ecclesias. 13. q. 1. in princ. Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 13. sub fin. ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines &c. Nam talis Ecclesiæ Rector dicitur populum regere c. 1. de capell. monach. cum alioqui Archidiaconi, Abbates, & similes habeant curam animarum, & non dicantur curati, Anast. Germon. de indult. Card. §. ac beneficia. num. 43. & seq. Chokier ad preces primar. sect. 2. vers. cum cura. Tertiò requiritur, ut Rector Ecclesiæ curatæ exerceat curam nomine suo, non alieno c. extirpanda 30. §. qui verò. de præben. Rebuff in praxi tit. de non promot. inf. annum. num. 36. Gonzalez dicta gloss. 6. num. 40. nisi sit principalis dignitas in Collegiata Chokier ad reg. 8. gloss. 2. num. 1. Quartò, ut Solus suo nomine regat, non cum adiuncto, vel duobus, aut pluribus aliis: quia ut unum corpus duo capita habere non potest, nisi sit monstrum, ita nec Ecclesia duos, vel plures curatos, c. cum non ignores. 15. de præben. c. in apibus 7. q. 1. c. sicut in unaquaque. 21. q. 2. Mascardus de probat. conclus. 469. incip. curam animarum. num. 5. & seq. Gonzalez & Chokier loco cit.

Quibus
rebus defi-
cientibus,
non desinit
beneficium
esse cura-
rum.

§. 3. Ex quibus infertur primò, quod etiamsi deficeret fons baptismalis, non propterea desineret esse Ecclesia Parochialis, quia ex actu baptizandi non sequitur cura animarum, cum baptismus etiam à muliere & laico conferri possit, c. ad limina. 30. q. 1. Mascardus de probat. d. conclus. 469. num. 8. & 9. Hoig.

Hoieda de incompatib. benef. part. 1. cap. 13. num. 8. Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 2. quest. 1. num. 109. Gonzalez. d. gloss. 6. num. 48. Secundò infertur idem dicendum, quoad sepulturam seu actum sepeliendi. Hostien. in sum. de sepultur. §. 2. & 3. Hoieda supra num. 9. Mascardus loc. cit. num. 10. Flamin. Paris. ibid. num. 108. Gonzalez supra num. 53. Tertio, idem quoque dicendum, si Ecclesia non percipiat decimas, quia ideò non consequitur, non esse parochialem, nec è contra. Gonzalez ead. gloss. 6. num. 56. Quarto infertur, quod potestas fori contentiosi v. g. quod quis habeat iurisdictionem in spiritualibus in foro exteriori, prout est suspendere, excommunicare, absolvere, visitare, & alia eiusmodi, quæ ad correctionem morum pertinent, non facit propriè beneficium curatum. Innocen. in c. dudum. 54. num. 11. vers. nam modus. ubi Abb. num. 7. de election. sed melius potest dici beneficium curatum, quod habet curam iurisdictionalem etiam fori exterioris, ut in pract. c. dudum. 54. de elect. Mascard. supra. num. 2. Garcias de benef. part. 1. cap. 6. num. 7. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 163. Quintò infertur, quod quando Ecclesia Collegiata habet curam animatum, talis cura non pertinet ad singulos canonicos illius, sed ad totum Collegium unicam personam Rectoris representans. Cassador. decis. 11. num. 2. de praben. quales Collegiata teste Chokier ad reg. 8. gloss. 2. num. 7; in Italia & Hispania sunt per plures, quæ reguntur per omnes de collegio hebdomadatim. Sextò infertur, quod beneficium curatum non dicitur, quando non habet curam perpetuam, sed tantum ad certum tempus, Hoieda de incompatib. benef. d. cap. 13. part. 1. num. 52. Gonzalez supra num. 93. Septimò curatum beneficium non dicitur Prioratus per Vicarium perpetuum deserviri solitus: quia solus Vicarius perpetuus habet curam, non etiam Prior, Probus in addit. ad Monach. in c. super eo 6. num. 17. de praben. in 6. Gonzalez pract. gloss. 6. num. 97. Chokier supra num. 9.

§. 4. Prædictis & similibus casibus, quos copiosius explicatos habes apud Mascard. & præcitatos Auctores, beneficia non dicuntur curata; sed in dubio beneficia præsumuntur firm

In aliis
autem ca-
libus non
conferuntur
beneficia
curata.

M

plicia.

plia. *Gonzalez gloss. 6. num. 91. Garcias de benef. part. 1. cap. 6 num. 8. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 53. num. 69.*

*Beneficia
curata in
mensibus
Apostolicis
Papæ sunt
reservata*

§. 5. His præmissis, ut ad quæstionem nostram redeamus, certum est, quod beneficia curata in mensibus Apostolicis vacantia, vigore Concordatorum Germaniæ sint summo Pontifici reservata: ita tamen, quod illorum provisio fiat per concursum, non secus atque in provisione Ordinaria, ut disponit Concilium Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 18.* & confirmavit *Pius Papa V.* infrascriptâ Constitutione: ideoque in tali eventu Episcopus Diœcesanus, seu eius Vicarius in spiritualibus, Generalis habitâ notitiâ vacationis, & constituto, in quantum opus, in ea Vicario, cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, proponit edictum pro concursu, & mittit Romam approbationem factam ab examinatis in synodo deputatis, de magis idoneo & à se electo, atque à sede Apostolica confertur approbato seu electo, ut colligitur ex eadem Constitutione *Pii V.* Atque ita fuit sæpius à S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum definitum apud *Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 8. quest. 9. num. 103. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 6. num. 103. Piasec. in praxi Episc. part. 2. cap. 5. art. 3. num. 6. vers. beneficiis quoque curatis &c.* & quotidie practicatur.

*Pii Papæ
5. Constit.
33. Bullar.
tom. 2.*

*In multis
casibus so-
let provi-
deri de be-
neficiis cu-
ratis sine
concursu.*

§. 6. Sunt tamen permulti casus, in quibus tam per Papam, quam etiam aliàs solet provideri de Parochialibus absque concursu, prævio duntaxat examine ad curam animarum per Episcopum Diœcesanum, seu eius Vicarium in spiritualibus Generalem in partibus facto, quos obiter recensebo. *Primò*, si approbatus per concursum, & electus ad petendam provisionem Apostolicam nolit consentire pensioni, quæ à Papa super tali Parochiali reservatur, tunc enim omisso examine per concursum, prævio tantum examine simplici, conferri potest. *Secundò* locum non habet concursus in resignatione Parochialis ad manus Papæ in favorem certæ personæ, sufficit enim resignatarium Episcopi seu eius Vicarii in spiritualibus Generalis examine idoneum esse repertum ad curam animarum, & idem

& idem est in permutatione, secus autem in resignatione simplici seu ad manus Papæ, seu Ordinarii Dioecesani; nam ibi requiritur concursus iuxta Concilium Tridentinum *loc. cit.* & *Pianam* sanctionem. *Tertio* cessat concursus in Parochiali, ob non servatam formam dicti concursus in provisione Ordinarii, ad Papam devoluta: si nimirum ejus collatio ad Episcopum spectet, cui incumbit concursus facere; nam si pertineat ad inferiores, nec per illos steterit, quò minus concursus per Episcopum intra tempus præscriptum factus fuerit, poterunt de ea liberè providere absque concursu, modò tamen conferatur personæ idoneæ & bene meritæ; cùm nemo sine culpa sua puniri debeat, *reg. 23 de reg. iur. in 6. l. aliud est fraus. 131. ff. de verb. significat.* quia pœna solùm sequitur suos auctores & non innocentes, *c. 2. de his que fi à maior. part. Capit. l. sancimus. 22. C. de pœnis. l. absentem 5. ff. eod. tit.* & sicut lepra sequitur leprosum, sic pœna sequitur auctorem culpæ, & illius personam non egreditur *l. quis ergò. 16. & ibi gloss. ff. de peculio.* Nec culpa solius Episcopi, vel Archiepiscopi nocere debet alteri, vel ejus conditio deterior fieri, ut jure conferendi sibi competenti privetur *c. denique. 14. q. 5. l. non debet. 74. ff. de reg. iur. l. coheredibus. 17. C. familia erciscunda. Menoch. de arbitrar. casu 182. num. 48. & 49. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 6. num. 126. & seq. Garcias de benef. part. 9. cap. 2. §. 1. num. 152.* *Quarto*, quando collatores Ordinarii fuerunt in mora conferendi Parochiales vacantes intra sex menses. *Quinto*, quando approbati per concursus & electi pro obtinenda à Sede Apostolica provisione Parochialium eidem reservatarum, intra quatuor mensium spatium à die notitiæ vacationis, per hujusmodi approbationis transmissionem apud Summum Pontificem non fuere notificati, *Sextò* quando est iuris patronatus laicorum, nam tunc præsentatus à patrono debet simpliciter examinari ab examinadoribus in Synodo Dioecesana delectis, & idoneus repertus admitti & institui, ut disponit Concilium Tridentinum *eadem sess. 24. de reform. cap. 18.* & declaravit S. Congregatio eiusdem Concilii interpretum apud *Gonzalez loc. precit. num. 134. Rotain recent. part. 2. decis. 579. num. 4.* quod

intellige, dummodò Parochialis esset iuris patronatus merè
 laicalis, secus verò, si esset mixti, partim Ecclesiastici, partim
 Laici, ex declaratione prædictæ S. Congregationis apud *Gon-*
zalez supra num. 135. siquidem eo casu ad effectum concursus
 istud ius patronatus censetur Ecclesiasticum favore Ecclesia-
 rum, ut illis meliùs provideatur, *Garcias de benef. part. 9. cap. 2.*
§. 2. num. 278. & seq. & factò concursu in hoc casu, dum Pa-
 rochialis est de jure patronatus mixto, patronus debet ele-
 ctum præferre, & ab Ordinario institutio fieri. *Gonzalez*
suprà num. 136. Garcias. loc. præcit. num. 284. Si autem Ecclesia
 vacans in mense Pontificio fuerit patronatus Ecclesiastici,
 non solùm debet fieri concursus, sed etiam Ordinarius Epil-
 copus Dioecesanus nullâ habitâ ratione patronorum eligit
 magis dignum à Summo Pontifice instituendum. *Garcias*
suprà num. 272. & seq. Similiter concursus fieri debet, si pa-
 tronus laicus præsentaverit plures quàm unum, sicuti ab ea-
 dem S. Congregatione declaratum refert *Gonzalez. loc. cit.*
num. 138. Septimò concursus omittitur, existente Parochiali-
 tam tenui, ut nemo velit se subicere concursui. Octavò in
 subrogatione gratiosa in jus defuncti colligantis. Nonò,
 dum cura animarum spectat ad Ecclesiam Collegiatam, &
 cura exerceatur per Canonicos, vel hebdomadarios, aut Ca-
 pellanos, vel alios Clericos *argum. text. in c. statutum. 32. de e-*
lect. in 6. ex quo nemini prædictorum confertur titulus Pa-
 rochialis. Decimò, in Vicariis perpetuis, de quibus *infra dub.*
sequenti. Undecimò in Parochiali unita alicui dignitati. De qui-
 bus latius consule *Gonzalez. locis præcit. Garciam de benef. pars.*
9. cap. 2. per tot. & Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3.
alleg. 60. à num. 18. explicantes Constitutionem

Pii V. Pontificis, quam uberioris
 cognitionis ergò hîc
 adjicîo.

PIUS

PIUS PAPA V.

*De Papa
5. Confis.
33. Bulla-
rii tom. 2.*



AD perpetuam rei memoriam. In conferendis *Exordium.*
beneficiis Ecclesiasticis, & praesertim Parochia-
libus Ecclesiis, personis dignis & habilibus,
quae in loco residere, & per seipsos curam exercere
valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, ALEX-
ANDRI III. in Lateranen. & GREGORII X. Lugdunen.
Generalibus Conciliis, ac INNOCENTII similiter III. &
aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum No-
strorum editae Constitutiones testantur.

Num. I. Quod ut diligentius ac rectius perficia-
tur, statuit etiam Synodus Tridentina, ut occurrente va-
catione Parochialis Ecclesiae etiam generaliter, vel speciali-
ter, etiam vigore indulti in favorem Sanctae Romanae Ec-
clesiae Cardinalium, aut alias quomodolibet reservatae, vel
affectae, debeat Episcopus, habitam notitiam vacationis Eccle-
siae, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua
eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere,
qui onera ipsius Ecclesiae sustineat, donec ei de Rectore
provideatur. Et deinde Episcopus, & qui ius patronatus ha-
bet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Episcopo praes-
cribendum, aliquos clericos ad regendam Ecclesiam ido-
neos Examinatoribus iuxta formam eiusdem Synodi de-
putatis nominet, & non nisi ab eisdem Examinatoribus
per concursum aliorum Examinatorum, etiam tamquam ma-
gis idoneo ab Episcopo iudicato & electo de Ecclesia pro-
videatur.

*Cencil.
Trid. Sess.
7. cap. 13.
& Sess. 24.
cap. 18. de
reform.
traditis
formam
conferendi
Parochia-
les Eccle-
sias, & in-
terim eis de-
Vicariis
providen-
dis.*

videatur: aliàs provisiones, seu institutiones omnes præter formam prædictam factæ, subreptitiæ censeantur.

*Quidam
vero Epif-
copi de hu-
jusmodi
Ecclesiis
providere-
runt, non
servatâ
dictâ for-
mâ.*

II. Sed quoniam res humanæ semper in deterius prolabuntur, nisi sit, qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet: & verendum sit, ne propter Constitutionum huiusmodi transgressionem maximi abusus oriantur: Nos, ad quorum notitiam non sine gravi Nostra molestia pervenit, nonnullos ex venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopis & Episcopis, occurrente vacatione Parochialium Ecclesiarum, eas nullo, aut minùs ritè servato examine, præsertim illo, quod per concursum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine ritè servato, personis minùs dignis, carnalitatis aut alium humanæ passionis affectum, non rationis iudicium sequentes contulisse, & de eis providisse, volentes quantum cum Deo possumus huiusmodi ac etiam futuris periculis occurrere,

*Idèd hic
Pontifex
collationes
factas, &
quæ fiunt
deinceps
contra di-
ctam for-
mam, an-
nullat, &
beneficia
vacare de-
cernit. Se-
dè Aposto-
licè eadem
reservans.*

III. Eorundem Prædecessorum Nostrorum Constitutiones præfatas etiam innovando, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium omnes & singulas collationes, provisiones, institutiones, & qualvis dispositiones Parochialium Ecclesiarum ab eisdem Episcopis & Archiepiscopis, ac quibusvis aliis collatoribus tam ordinariis, quàm delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Sedis Apostolicæ Legatis, vel Nunciis, præter & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam, factas aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris vel momenti fore & esse, nullumq; provisum ius, aut titulum etiam coloratum possidendi

dendi præbere, & Parochiales Ecclesias huiusmodi, ut prius ante collationes huiusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus & declaramus, easq; omnes pro tempore sic vacantes Nostræ & sedis Apostolicæ, seu eorum quibus jus conferendi eas, præterquam Episcopis, & Archiepiscopis, qui curam dicti examinis iuxta decretum Concilii habere debent, competet, dispositioni reservamus.

IV. Insuper ne parochiales Ecclesiæ diu in suspenso maneat, in maximum animarum periculum; quarumcumque parochialium Ecclesiarum, quarum dum pro tempore vacant, ad Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, & quosvis alios Ordinarios collatores, in mensibus Ordinariis collatoribus etiam per Nostras regulas assignatis, provisiō & collatio spectat & pertinet, de quibus iisdem Episcopi, & Ordinarii prædicti intra sex mensium spatium à die vacationis earundam perfecto examine iuxta formam Concilii Tridentini præfati non providerint: ac illarum etiam, quarum collationes Nobis & dictæ Sedi generaliter vel specialiter, & ex quavis causa reservatæ, seu affectæ existunt, aut aliis ex indulto Sedis Apostolicæ competunt: ad quas, occurrente illarum vacatione, Episcopi, & Archiepiscopi præfati personas per examen, concursu mutuo habito, iuxta dicti Concilii Tridentini formam approbatas, & magis idoneas non elegerint, aut electas Nobis vel successoribus Nostris, aut iis ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor mensium spatium à die illius vacationis non significaverint; nec non parochialium Ecclesiarum similium, quæ:

Prout & illas, quæ non fiunt tempore præfixo.

quæ Iurispatronatus Ecclesiastici, vel aliorum seu clericorum & laicorum simul fuerint, si præsentatus intra tempus eisdem patronis à iure præfixum prævio examine iuxta formam dicti Concilii approbatus petatur institui, institutioq; ipsa per duos menses à die præsentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem, omnimodam dispositionem Nobis, & ipsi sedi, ac personis indulti huiusmodi conferendi, providendi seu instituendi obtinentibus respectivè reservamus: datâ tamen in parochialibus iurispatronatus optione ipsis patronis, ut si institutio ad Ordinarios spectabit, ipsis Ordinariis illam facere negligentibus, & ultra dictos duos menses differentibus, possint pro huiusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorum Ordinarium, aut ad sedem Apostolicam,

*Terminus
Concilii
non pro-
getur.*

V. Prohibentes etiam eisdem Ordinariis, ne tempus decem dierum eisdem Ordinariis & patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos clericos coram deputatis examinatorebus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant.

*Beneficia
sic reser-
vata Or-
dinaris non
conferant.*

VI. Districtius inhibentes ne quis præter Romanos Pontifices, aut alios indulta huiusmodi obtinentes, ut præfertur, quâcumque sit super hoc auctoritate munitus, de huiusmodi beneficiis sic reservatis, ut præfertur, disponere, vel circa illa, etiam per viam permutationis, vel aliâs innovare quoquo modo præsumat.

*Collatio
prædicta.*

VII. Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis
reper-

reperitis iuxta eiusdem Concilii decretum parochiales Ec-
 clesiæ conferantur, volumus, & eâdem auctoritate decer-
 nimus, quod si Episcopus minùs habilem, posthabitis ma-
 gis idoneis, elegerit, possint ii, qui reiecti fuerint, à ma-
 la electione huiusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse
 eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad vici-
 niorem Ordinarium, uti Nostrum & Sedis huiusmodi
 delegatum, aut aliàs ad ipsam Sedem Apostolicam appe-
 llare, ac præelectum ad novum examen coram ipso apo-
 pellationis Iudice, & eius examinatorebus provocare; &
 constitò de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoq; re-
 vocato, parochialis magis idoneo per eundem Iudicem
 appellationis auctoritate Nostrâ (quatenus collatio ad Epi-
 scopum, à quo appellatum fuit, spectaret) conferatur; ali-
 às eidem magis idoneo per Iudicem appellationis appro-
 bato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio,
 provisio, vel institutio spectabit.

*rum fiat
 idoneis, &
 gravati
 appellent.*

VIII. Hæc tamen appellatio interposita interim non
 impediat, aut suspendat, quò minùs electio per Ordina-
 rium primo loco facta interim debitæ demandetur execu-
 tioni, & provisos ab eadem Ecclesia, causâ appellationis
 huiusmodi dependente, non amoveatur.

*Appella-
 tio autem
 non sus-
 pendit exe-
 cutionem
 electionis.*

IX. Et si quis à sententia per Iudicem appellationis
 lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apo-
 stolicam appellabit, si secus in præmissis omnibus & sine
 gulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decerni-
 mus & inane.

*Et à Iudice
 ad Appella-
 tionis ad
 Sedem A-
 postolicam
 appellabi-
 tur.*

X. Volumus autem, quòd præsentium transsum-

*Transsum-
 ptorum fi-
 des.*

N

ptis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

*Forma & effectus publicati-
onis.*

XI. Quodq; literæ ipsæ Camera & Cancellariæ Apostolicarum & Audientiæ causarum Palatii Apostolici vallis, & in acie Campi Flori, dimissis inibi copiis, publicatæ & affixæ, omnes ita afficiant & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Nulli ergò omninò hominum &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, decimo quinto Kal, Aprilis, Pontificatus Nostri anno secundo.

*Extra casus prædictos necessarii con-
suetudo formæ
& Concilio
Tridentino
præscri-
ptam.*

§. 7. Igitur extra casus suprâ expressos, in provisione Parochialium Vacantium observanda est forma à Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 18.* & prædicta *Piana* Constitutione præscripta, ut nimirum Episcopus loci, seu eius in spiritualibus Vicarius Generalis, statim habitâ notitiâ vacationis Parochialis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium instituat, cum congruæ portionis assignatione; dein ipse, & patronus, si iuris patronatus sit Ecclesiastici, intra decem dies, quos ultra alios decem prorogare non licet, coram examinato-
ribus in synodo deputatis nominet aliquot Clericos ad regendam eam Ecclesiam idoneos, vel si Episcopo ita videatur, poterit per Edictum publicum convocare omnes, qui se voluerint offerre; imò & quisvis alius, si quos novit dignos, suggerere; & hi omnes sunt annotandi, ac transacto tempore, si comparuerint, ab eodem Episcopo, seu eius Vicario in spiritualibus Generali, & Examinatoribus synodalibus non paucioribus, quàm
tribus

tribus examinandi; atque ex illis, quos examinatores iudicaverint & renuntiaverint aptos ætate, moribus, prudentia, & aliis dotibus ad vacantem Ecclesiam regendam requisitis, Episcopus magis idoneum deligat, & huic, non alteri collatio fiat ab eo, cuius est conferre; si tamen institutio ad Episcopum pertineat, tum patronus Ecclesiasticus debet digniorem eligere ab Episcopo instituendum: alioqui si ad alium spectet, Episcopus solus eliget magis idoneum suo iudicio, & patronus hunc præsentabit ei, ad quem pertinet institutio: ut si institutor, vel collator sit Decanus, Capitulum, vel alius inferior: Episcopi enim est, non solum convocare, & habere ius examinandi cum aliis examinadoribus, sed etiam eligere digniorem, qui à patrono præsentetur instituendus. *Lessius de iust. & iure. lib. 2. cap. 34. dubit. 16. num. 80. Zypæus in analyt. iur. Pontif. nov. lib. 1. tit. de elect. num. 15.* Si autem ius patronatus est Laici, non est necesse, ut fiat examen per concursum, ut supra dictum. Præter antedictam autem formam, omnis collatio, seu institutio in beneficiis curatis censetur subreptitia & nulla, ac nullius roboris & momenti, nullumq; proviso ius, aut titulum etiam coloratum possidendi præbet, & ipso facto, si pertinebat ad Episcopum, devolvitur ad Sedem Apostolicam ex *Tridentina & Piana* Sanctione, non obstantibus quibuscumque exemptionibus, indultis, privilegiis, etiam universitatibus concessis, consuetudinibus, præventionibus, affectionibus & aliis quibuscumque. *Lessius loco præcit. num. 81. Garcias de benef. part. 9. cap. 2. num. 2.*

N 2

DV BI-

DUBIUM VII.

Quid censendum de Vicariis perpetuis, & an per concursum conferri debeant?

Ordinis
ratio.

§. I. **Q**uia de Vicariis perpetuis aliquid *suprà* insinuavimus, materiæ ratio & connexitas exigit, ut eorum nomen, naturam & conditionem paulò fusiùs explicemus.

Vicarius
quis dicatur.

§. 2. Vicarius, omisâ eius nominis in iure Cæsareo variâ acceptione, quæ videri potest apud *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. num. 1. & seq. & Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 1.* propriè dicitur à vice, quod vicem alicuius gerat: cum enim quis rebus suis interesse, vel superesse non potest, Vicarium sibi in ijs constituit, per quem quæcunque gesta fuerint, perinde habentur, ac si per ipsum constituentem expedita fuissent, *reg. qui facit per alium. 72. de reg. iur. in 6.* Quamquam hoc loco non tam latè accipiatur nomen Vicarii, ut denotet eos omnes, qui quoquo modo vices alienas obeunt in functionibus Ecclesiasticis, sed strictiùs pro eo scilicet, qui officium Ecclesiasticum, quod alteri Ordinario iure incumbit, ipsius nomine exercet.

Vicarius
duplex.

§. 3. Duplicis autem generis sunt Vicarij, alij perpetui *c. ex parte. 6. de off. Vicarii. c. extirpanda. 30. §. qui verò. de praben. c. G. perpetuus. 12. de fide instrument. c. 1. de capell. monach. alij temporales c. pervenit. 28. de appellat. c. cum ex eo. 34. de elect. in 6. c. 2. de atate & qualitate. extranag. execrabilis. §. quantum autem.* Perpetuus dicitur, qui canonicè, id est, auctoritate Episcopi Diocesani constituitur in aliqua Ecclesia Parochiali, cum certa & congrua portione annua, tanquam laboris & operæ mercede, ex proventibus ipsius Ecclesiæ; quæ hodie ex Constitutione Pii Papæ V. *infra hoc dub. §. 12. adducenda*, ita determinata est,
ut non

ut non sit major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum, seu aureorum summa, computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis: adeoq; quotidianas distributiones numerandas censet *Gonzalez ad reg. 8. §. 7. proem. num. 185.* Si verò redditus Ecclesiæ Parochialis non excedant quinquaginta scuta, tum omnes fructus Vicario assignandi sunt. Quod intelligi debet de scutis, vel aureis duodecim Iuliorum, *Gratian. discept. foren. tom. 1. cap. 51. num. 17.* Sic à sacris Canonibus permittitur habenti Parochialem Ecclesiam suæ vel dignitati, vel Præbendæ annexam, substituere sibi Vicarium idoneum & perpetuum auctoritate Episcopi *d. c. extirpanda. §. qui verò. & c. de monachis. 12. de præben. Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 5. & 7. & sess. 25. de reform. cap. 16.* ubi idem permittitur Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque, quæ beneficia Ecclesiastica curata perpetuò sibi unita & annexa habent.

§. 4. Caterùm Vicarius ejusmodi semel canonicè, ut dixi, ^{Vicarius} id est, auctoritate Episcopi constitutus, non potest per pro- ^{perpetuus} prium Ecclesiæ Rectorem, aut ejus successorem removeri, ^{non potest} aut portione sibi assignatâ fraudari, ^{ad libitum} *d. c. extirpanda. §. qui verò.* ^{removeri.} *de præben. c. adhac. 3. & ibi gloss. verb. remove. de off. Vicarii. Clem. unica. eod. tit. de præben.* Licet aliàs mandatum revocari possit pro arbitrio mandantis. Imò nec Episcopo permittitur eidem administrationem auferre, nisi justis de causis, ut colligitur ex *c. adhac. 3. de off. Vicar.* quia scilicet vicariatus perpetuus non habet te instar simplicis mandati, sed instar beneficii; Vicarius enim perpetuus non potest constitui sine erectione tituli Vicariæ perpetuæ, ut respondit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum apud *Zerolam in pract. Episc. part. 2. verb. vicarius. num. 7. Garclam de benef. part. 11. cap. 2. num. 15. Barbof. de jure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 4.* Vnde Vicarius perpetuus ipso jure censetur beneficiarius *c. G. perpetuus. 12. de fide instrument. gloss. in c. 1. verb. in diversis. de off. Vicarii. c. Michael. 13. de filiis presbyt.* ejusq; officium refertur inter beneficia in *c. postulasti. 27. de rescript. & penes eundem est cura*

animarum, *Abbas in d. c. extirpanda. §. qui vero.* Ideoq; curatus primitivus non potest, nec debet Sacramenta conferre; indeq; fit, quod Vicarius, sicut & quilibet alius in beneficio auctoritate Episcopi sibi collato institui debeat, *c. ex frequentibus. 3. de institut.* Semelq; institutus, temerè & sine causa, ac præter juris ordinem non sit amovendus; ut neque quisquam beneficio privandus est; quodq; quis nequeat esse Vicarius in diversis Ecclesiis *c. 1. & 2. de off. Vicar.* aut sibi alium Vicarium perpetuum substituere juxta communem sententiam, sed per se ipsum deservire compellendus est, *c. ult. de off. Vicar.* cum hic spectetur industria personæ: ad tempus tamen justa de causa licet, *Abb. in c. clericos. 4. de off. Vicar.*

Vicarius temporalis quis dicatur.

§. 5. Vicarius temporalis est, qui in locum alicujus ad tempus Episcopi auctoritate substituitur, iustâ subsistente causâ, puta, ob peregrinationem ad loca pia, infirmitatem, aut iustâ absentiam ab eodem Episcopo cognitam & approbatam, graves occupationes, imperitiam, turpem & incorrigibilem vitam, aut suspensionem, privationem, vel mortem Parochi, seu beneficiati: item ob religionis ingressum durante novitiatu, vel si ob aliam aliquam causam, veluti necessitatem, utilitatemve Ecclesiæ, deservire suæ Ecclesiæ non possit, de quibus vide *c. fin. de voto. c. de rectoribus. 3. de cleric. agrot. c. relatum. 4. de cleric. non resid. & c. cum ex eo. 34. de elect. in 6. Concil. Trident. sess. 6. de reform. cap. 2. sess. 7. de reform. cap. 5 & 7. sess. 21. de reform. cap. 6. nec non sess. 24. de reform. cap. 18. Gregor. Tholosan. tract. de benef. cap. 7. à num. 9. usque ad fin.*

Vicarius temporalis non est beneficiatus.

§. 6. Cùm autem ad tempus dumtaxat hic Vicarius constituatur, non habet se instar beneficiarii *gloss. in extravag. excommunicabilis, de Præben.* sed iure penes Rectorem principalem manente, penes Vicarium solummodò est functio & administratio, quam exercet nomine alterius, & quæ expirat morte Rectoris principalis, ad cuius etiam nutum, & absque causa revocari potest, *Abb. in d. c. extirpanda. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. num. 35. & seq. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. n. 65. Rota inter impress. apud Coccin. decis. 18. num. 13.*

§. 7. Et ad eum modum se habent Religiosi, qui à superioribus

ribus, prævio Episcopi examine, in Ecclesiis ipsorum monasteriis unitis & annexis constituuntur Vicarii ad nutum ipsorum amovibiles, ex *Piana Constitutionis infra* ponendæ præscripto, à quo nec dissonat *Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 7.* cum nec iura antiqua permetterent monachos parochos, aut Vicarios perpetuos esse, ex vi professionis & obedientiæ superioribus debitæ; unde & modò adhuc obedientarii vocantur; sed sæculares Sacerdotes iis præficiendos jubeant. *c. monachi. 2. c. cum ad monasteriũ. 6. §. tales. de statu monach. c. 1. de capell. monach. Clem. unic. de supplen. neglig. prælat. Rot. apud Coccin. cit. decis. 18. n. 6. & seq. V. Ames. consil. canon. tom. 1. consil. 65. n. 11. 12. 13. & seq. Layman. Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 5. num. 8.*

Vicarij Religiosi Vicarii constituti.

§. 8. Nece a *Pii* apæ *V.* Constitutio in hoc revocata fuit à *Gregorio XIII.* Pontifice Maximo *Constit. 9. Bullarii tom. 2.* sed potius revalidata, ut censuit *S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini* interpretum ad *sess. 7. cap. 7. de reform.* ut nimirum Episcopus Diœcesanus ad nominationem Regularium deputer unum ex ipsis, prævio examine à se approbatum, & ad nutum eorundem amovibilem, cui unus dumtaxat socius cohabitaret, ne plures extra claustrum maneant. *c. quod Dei timorem. 5. & ibi gloss. verb. regimen. de stat. monach. & c. ult. de capell. monach. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. num. 79. Quarant. in sum. Bullar. verb. vicarius. Zypaus in consultat. canonic. lib. 3. de instit. consultat. 1. & in respons. de iure canonico. lib. 5. tit. de privileg. respons. 3. Barbof. de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 9.*

Ex Piana Constitutione, quæ à Gregorio 13. non fuit revocata.

§. 9. His positis, Respondeo primò, Vicariæ perpetuæ Parochialium unitarũ dignitatibus, Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, Monasteriis, Collegiis, aut aliis piis locis, (de manualibus enim hîc non agimus, nec de eis *Papa* unquam disponit, *Rot. decis. 704. num. 1. part. 2. recent.*) minimè cadunt sub Concordatis Germaniæ, aut Regulis reservatoriis Cancellariæ Apostolicæ; quia dispositio de huiusmodi vicariis in omni etiam mense spectat ad illos, quibus dictæ Parochiales sunt unitæ, etiam si sint monialium monasteria, ex Constitutione *Pii Papæ V.* quæ concedit ipsis Ordinariis, seu illis, quibus Ecclesiæ sunt unitæ, liberam nominationem ad earum vicarias

Vicariæ perpetuæ non cadunt sub Concordatis Germaniæ.

rias indefinitè, & absque aliqua temporis, vel mensium distinctione, adeoq; in omnibus mensibus anni etiam reservatis, fuscè Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. num. 59. 60. & seq. Garcias de benef. part. 9. cap. 2. §. 2. num. 289. & seq. & num. 308. & seq. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 45. Rota d. decis. 704. num. 2. & decis. 777. num. 1. part. 2. recent. Et cum dicta Constitutio Pii V sit facta per viam legis generalis, non revocatur per Regulas Cancellariæ, Gonzalez supra num. 72. Sed & capit vicarias tam ante, quam post Concilium Tridentinum erectas, & in titulum dari solitas, Gonzalez loc. cit. num. 75. quidquid dubitaverit Garcias loco præcit. num. 313. ita Rota ead. decis. 777. n. 2. nam eadem militat ratio in his, atque in illis, licet verba dictæ Constitutionis contrarium suadere videantur; quia magis inhærendum est rationi legis, quam verborum cortici c. intelligentia. 6. & c. propterea. 8. de verbor significat. l. scire oportet. 13. §. aliud. ff. de excusat. Gonzalez supra num. 76. Quin illud jus nominandi Vicarios non est jus patronatus Ecclesiasticum, cui ceteri posset derogatum, sed est jus nominandi competens de jure communi juxta c. 1. de capell. monach. quod est inderogabile: imò vocatur collatio seu tituli collativum, quia continet in se institutionem, & illa Ordinarii Episcopi Diocesani, est solùm auctorizabilis respectu curæ animarum, seu nominati vicarii approbatio, Rota decis. 102. num. 1. part. 1. recent. & apud Cavaler. decis. 599. num. 1. Vnde ex præscripto antedictæ Piane Sanctionis, ejusmodi Vicarii deputari debent prævio Episcopi Diocesani, aut ejus in spiritualibus Vicarii Generalis examine & approbatione, nec non novam à Sede Apostolica obtinere provisionem, & literas desuper expediri curare, atque annatam solvere, si fructus sine distributionibus, 24. ducatos de camera excedant, antequam ad possessionem admittantur; & quanquam Gonzalez supra num. 52. teneat novam hanc provisionem necessariò impetrandam, in quocumque etiam mense dictæ vicariæ vacaverint, verius tamen sentire videtur Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 45. sub fin. id restringens ad menses Apostolicos tantum.

§. 10. Ex

§.10. Ex his porrò conclude, hujusmodi vicarias non ca-
dere sub Indultis conferendi, etiam Vniversitatibus studio-
rum generalium concessis: uti in puncto Indulti beneficia in
Novembri tantùm uno anno, seu Novembri & Ianuario si-
mul alternis annis conferendi, Vniversitati Lovaniensi à Pau-
lo ejusce nominis V. Pontifice Maximo concessi sæpiùs à Ro-
ta Romana fuit decisum, ut proinde aberrarit *Sylvius variar.
resolut. part. 1. verb. vicaria perpetua.* contrarium resolvendo.
Nam alioqui ad Ordinarios inferiores, seu illos, quibus Paro-
chiales Ecclesiæ sunt unitæ, non spectaret in omni etiam men-
se nominatio ad prædictas vicarias, & ad Ordinarium Episc-
opum Diocesæ in hisce institutio, sicut expressè statuit
Piana Constitutio. Præterea si Sedes Apostolica in mensi-
bus sibi reservatis non confert vicarias, sed illæ providentur
ad nominationem & institutionem Ordinariorù ut *suprà §.9.*
non potest ceteri concessum hujusmodi jus Vniversitatibus,
seu aliis Indulta Apostolica habentibus; quia ipsi non possunt
prætere jus conferendi, nisi eo modo, quo Papa confer-
ret, si non concessisset Indultum, *Gonzalez ad reg. 8. §. 4. proem.
num. 24. Rota decis. 442. num. 1. & 2. part. 1. di versor. & nemo plus
juris ad alium transferre potest, quàm ipse habeat. reg. 54. ff. de
reg. iur.* Huc accedit, quod Papa non intendat per hujusmodi
Indulta lædere jus Ordinariorum, quod patet ex eo, quod so-
lùm concedantur in mensibus semper reservatis, & non Or-
dinariis, uti in Indulto Vniversitatis Lovaniensis. Ac facit et-
iam vulgaris regula, quod privilegium & dispositio quæ-
libet Papæ debeat intelligi sine præjudicio alterius, *c. dudum.
31. de privileg. c. super eo. 15. de off. deleg. & c. quamvis 8. de rescrip.
in 6. l. 2. §. si quis à Principe. ff. ne quid in loc. publ.* cum infinitis
cumulatis per *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 28. num. 2. & seq.* Ideoq;
necessum est, ut Papa nominatim deroget Regulæ olim XVII.
nunc XVIII. Cancellariæ Apostolicæ *de iure quasit. non tollen.*
quæ Regula habet locum in quocumque iure etiam mini-
mo, *Casar de Grassis decis. 1. num. 4. de verb. significat. Seraphin. de-
cis. 1082. num. 2.* etiamsi ius competat ex privilegio, *Casar de Grass.
suprà num. 2. & seq. Chokier ad reg. 15. aliàs 16. cancell. per tot. ubi*
plura

*Nec sub
Indultis
etiam V-
niversita-
tibus con-
cessis.*

plura ea de re ponuntur exempla. Hinc quando Papa dat facultatem alteri auctoritate suâ conferendi, semper censetur concedere cum clausula *sine præiudicio iuris alterius, quasiti in re, vel ad rem.* *VV ames. in consil. canon. tom. 1. consil. 236. num. 1. Chokier loc. cit. num. 16.* cui Papa non vult derogare, nisi id expressè declarat.

Respondetur ad argumenta contraria.

§. II. Nec obstant verba quantumcumque generalia eiusmodi privilegiorum, quia debent restringi, ut non operentur in præiudicium tertii, *Gonzalez loc. pract. num. 7. & 8. Chokier supra. num. 8. & 9.*

Adiicitur Constitutio Pii Papæ 5.

§. 12. Pro maiori autem Lectoris notitia *Pianam* istam Constitutionem hîc adscribere placuit.



PIUS PAPA V.

Exordium.



AD perpetuam rei memoriâ, Ad exequendum Pastoralis officii debitum, vigilantibus studiis intendentes ad ea, per quæ Cathedralium, aliarumve Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, beneficiorum, seu Collegiorum, ac aliorum piorum locorum prospero profectui, Diviniq; cultus augmento, & opportunæ congruæq; sustentationi, Parochialium Ecclesiarum eisdem unitarum statui feliciter dirigendo, & personarum in illis curam animarum exercentium utilitati rectâ ratione, & providâ moderatione consuli, & salubriter provideri valeat, libenter interponimus Nostræ sollicitudinis partes.

Pii Papæ 5. Constit. 47. Bullaris tom. 2.

Ordinarii excedebant serm. nos Con. c. l. s. Tridentini

Num. I. Hinc est, quod Nos, ad quorum aures (quod non sine animi Nostri molestia referimus) pervenit, nonnullos ex venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis,

chis,

chis, Archiepiscopis, & Episcopis, in deputandis vicariis, ac in assignatione portionum vicariis perpetuis Parochialium dictis Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis, Collegiis, vel locis piis perpetuò unitarum ex Concilio Tridentino faciendâ, ita modum excessisse, ut parùm, aut nihil ex fructibus, redditibus & proventibus Parochialium Ecclesiarum sic unitarum, Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis, Collegiis, aliisve locis piis remanserit; ob idq; multæ ortæ sint super hoc controversiæ circa interpretationes Decreti dicti Concilii.

in assignatione portionum vicariis perpetuis faciendâ.

II. Nos ad eas tollendas animum intendentes, considerantesq; uniones ipsas ideò à Prædecessoribus Nostris factas esse, ut ex redditibus, & emolumentis beneficiorum unitorum Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, beneficiis & locis piis, quibus illa uniuntur, faciliùs onera eidem incumbentia supportentur, & promptiùs à Ministris Ecclesiasticis in eisdem Divina officia celebrentur, hospitalitas serveatur, aliaq; charitatis opera exercentur: ac etiam ut nihilominùs cura animarum dictarum Parochialium laudabiliter exerceretur, motu proprio, & ex certa Nostra scientia, auctoritate Apostolicâ, hâc Nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione statuimus & ordinamus, ac declaramus, quemadmodum etiam de ipsius Concilii mente fuisse colligimus, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos præfatos in assignatione portionis ipsis vicariis perpetuis ex prædicto Concilio ipsorum Prælatorum arbitrio faciendâ, ita se continere & arbitrari debere, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorû annuorum summa, computatis

Declarat ideò Pontifex ipse quantitatem ipsarum portionum.

tatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omninò assignentur, nisi vicariis solitum fuisset plus assignari, sive in quantitate, aut quota fructuum, pecuniaq; numerata, fundo, seu alia re stabili portio huiusmodi constituatur: cujuscumque valor Parochialis Ecclesia unita fuerit, & habita etiam ratione reddituum, & onerum loci, cui parochialis ipsa unita fuerit: ita quod portiones ultra, vel infra dictas summas scutorum centum, & scutorum quinquaginta hætenus assignatæ, vel in posterum forsan assignandæ, quoad excessum & defectum huiusmodi nullius roboris & momenti existant, & ad summas prædictas reductæ & auctæ respectivè censeantur; nisi tamen valor annuus ipsius parochialis unitæ habitæ ratione, ut præfertur, minor sit quinquaginta scutis, quo casu portio assignata, vel assignanda vicario perpetuo non debeat excedere summam annuam valoris dictæ parochialis, sed sufficiat, quod omnes fructus ejus dumtaxat attribuuntur ipsi vicario perpetuo.

*Et ad quos
spætes omnes
solvendi
quinden-
nari pro ip-
sis portio-
nibus.*

III. Et quoniam iniquum esset, eos qui commodis privantur, eadem onera, quæ priùs sustinebant, debere sufferre, volumus & statuimus, quod Ecclesiæ, Monasteria, Collegia, beneficia, & pia loca huiusmodi, in quorum Parochialibus Ecclesiis unitis continget vicarias prædictas erigi, pro quantitativibus fructuum ipsis vicariis perpetuis assignatorum, ad solutionem quindenriorum, quam Nobis & Camera Apostolicæ solvunt, ulterius non teneantur, sed eis detractio fiat ad ratam certorum, quæ de fructibus dictarum Parochialium percipiuntur. Ita tamen quod vicarii perpe

perpetui, qui pro tempore deputabuntur, teneantur accipere à Sede Apostolica novam provisionem suæ deputationis, & solvere annatam pro portione fructuum, reddituum, & proventuum certorum sibi assignata, & expedire literas Apostolicas, nec aliàs ad possessionem dictarum vicariarum perpetuarum, & servitium earundem parochialium admitti possint, nisi solutâ annatâ, & expeditis literis Apostolicis novæ provisionis, ut præfertur, alioquin integrum quindennium solvi debere, nec vicarij prædicti antea tutâ conscientiâ fructus percipere possint.

IV. Volumus insuper, & ita mandamus, quod dicti vicarij perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum prævio examine, & approbatione deputentur.

Es facultas eligendi vicarios.

V. Et si dictæ parochiales unitæ erunt monasteriis Regularium Mendicantium, possint à superioribus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus, quos si Ordinarij prævio examine per se, aut eorum vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, ita pro idoneis approbaverint, teneantur in vicarios, ad nutum tamen suorum superiorum amovibiles, deputare. Idemq; etiam servetur in Regularibus Monachis tantùm, dummodò in ea parochiali, in qua unus ex Monachis fuerit servatâ formâ prædictâ vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alij ex dictis Monachis.

Facultas mendicantium circa vicarios ipsius unitis.

*Decretum
irritans.*

VI. Sicq; per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi potestate, iudicari & interpretari debere, nec non irritum & inane decernimus, quicquid secus à quoquam quavis auctoritate attentatum forsitan est hæctenus, vel in posterum contigerit attentari.

*Clausula
derogato-
riæ.*

VII. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscumque,

*Iussu pub-
licæ rationis.*

VIII. Volumus autem, quod præsentis literæ in Cancellaria Nostra Apostolica, & ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe de more publicentur, & inter Constitutiones perpetuò valituras describantur.

*Exemplo-
rum fides.*

IX. Et quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri, quod earum transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Kal. Novemb. Pontificatus Nostri anno secundo,

*An vica-
ria perpe-
tua debe-
ant confer-
ri per con-
cursum.*

§. 13. Sed quoniam modò versamur in materia vicariorum perpetuarum, offert se celebris controversia, an nimirum eadem prævio examine per concursum conferri debeant, vel non? quam quidem quæstionem iam pridem, & in dies agitari videmus inter Episcopos Belgij, eorumve ministros & officiales, ac Clerum nostrum Leodiensem; illis vacantes in Diocæsesibus suis, vicarias Parochialium Ecclesiis, seu Monasteriis
Leodi-

Leodiensibus unitarum, non secus, atque alias quascumque Ecclesias Parochiales concursui obnoxias prætendentibus, & de facto exponentibus, frustra resistente & protestante Clero Leodiensi. Paucis itaque sensum meum edicam.

§. 14. *Respondeo secundo* vicarias perpetuas minimè per concursum conferendas, sed solum ad nominationem illorum, quorum dignitati, vel Ecclesiis Parochiales sunt unitæ & annexæ, de iis providendum, cum examine tamen simplici & approbatione Episcopi Diocesani. Constat *ex c. extirpanda 30. §. qui verò de præben. c. unico. de capell. monach. Clem. 1. de iurepatron. quia verò à iure antiquo recedendum non est, nisi aliud exprimat in novo, l. præcipimus. 32. C. de appellat. id ipsum etiam disertis verbis colligitur ex antedicta Constitutione Pii V. Volumus insuper & ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum prævio examine & approbatione deputentur. Quid clarius?*

Resolvitur negative ex Piana Constitutione.

§. 15. Nec dici potest, quod Piana Sanctio correctoria sit Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 18. ut malè opinatur Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. num. 53. siquidem Concilium Tridentinum ibidem non de vicariis, sed de Parochialibus Ecclesiis manifestè statuit, Garcias de benef. part. 9. cap. 2. §. 2. num. 292. Zypaus in consultat. canon. lib. 1. tit. de elect. consultat. 2. Rota apud Cavaler. decis. 599. num. 1. uti legenti patebit. Vacare enim ibidem Ecclesias dicit, nunquam vacant unitæ: in vacantibus vicarios constitui iubet, vicarii vicarios non habent. clericos. 4. de off. Vicar. De Rectore provideri Ecclesiæ dicit, hinc tantum deputantur vicarii, cum illi, quibus unio facta est, ipsi Rectores sint: conferri ibi parochiales Ecclesiæ dicuntur; denique totus Concilii contextus sonat ea, quæ accidunt in provisione ipsius tituli Ecclesiæ parochialis, non autem in subrogatione vicarij, penes quem solum exercitium curæ residet; & idcirco in vicariis sufficit sola nominatio eius, cui Ecclesia est unita, & examen simplex, atque approbatio Episcopi Diocesani, non autem examinatorum synodalium. Garcias loco præcit. num.*

Quæ in hoc non est correctoria Concilii Tridentini

cit. num. 293. & elegantissimè Zypæus d. consultat. Rota decis. supra. cit. apud Cavaler. Et ita persapè tum à S. Congregatione Concilij Tridentini interpretum fuit declaratum, ut referunt Zerola in praxi Episcop. part. 2. verb. Vicarius. §. 7. Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 8. quest. 9. num. 93. & 94. Garcias loc. cit. à num. 289. usque ad num. 296. Atque hanc sententiam unanimiter & passim tenent Doctores, Zerola loc. cit. Flamin. Paris. supra. Gonzalez ad reg. 8. gloss. §. 3. num. 53. & gloss. 6. num. 161 & 162. V. golin. de off. & potest. Episc. cap. 50. §. 3. num. 8. Quaranta in sum. Bullary verb. beneficiorum Parochialium collatio. in addit. vers. Tertio quaritur. Piafec. in praxi Episc. part. 2. cap. 5. art. 3. n. 9. vers. neque fit concursus. Less. de iust. & iure. lib. 2. cap. 34. dubit. 16. num. 82. Garcias de benef. part. 9. cap. 2. §. 2. num. 289. & seq. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 60. num. 32. & de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 35. & 45. Gauantus in enchirid. Episcop. verb. Vicarius perpetuus. num. 8. Zypæus loc. praxit. & in analyt. iur. Pontif. nov. lib. 1. tit. de elect. sub. num. 15. qui unicus, uti nationalis ipsis Belgis deberet esse pro mille. Quæ sententia etiam sæpiùs canonizata fuit à Supremo Rotæ Romanæ Tribunali, tã in recent. part. 1. decis. 102. num. 1. & seq. & part. 2. decis. 323. num. 8. ac decis. 777. num. 1. & seq. quàm apud Cavaler. decis. 274. num. 4. & 5. item decis. 595. num. 4. & 5. ac decis. 599. num. 1.

Collatio-
nos autem
vicariarū
aliter fa-
ctæ irritæ
sunt.

Diluuntur
argumenta
contraria.
Primum.

§. 16. Quin si dictæ vicariæ conferantur per concursum, irritæ omninò sunt eiusmodi collationes ex Decreto irritanti in dicta Constitutione Pii V. adiecto, uti decidit Rota apud Cavaler. praxit. decis. 595. num. 5. & decis. 599. sub fin. de cuius clausulæ vi & potestate vide infra. tit. 3. dub. 2. §. 8.

§. 17. Non obstat primò, si dicatur, quod à iure disposita in Pastoratibus, locum habeant in vicariis eorum; siquidem ad ea pertinent, quæ personarum capacitatem, ætatem, ordines, residentiam, beneficiorum pluralitatem, idioma, & his similia respiciunt, eoq; pertinent Canones id innuentes. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 18. & seq. non autem ad illa spectant, quæ respiciunt vicariorum constitutionem, quatenus alios concernit, id est, patronos, collatores &c. vel eos, quibus

quibus ius ministros subrogandi, & vices demandandi competit. ita Zypæus in consultat. canon. lib. 1. de elect. consultat. 2.

§. 18. Nec obest *secundò*, quod Parochiales iuris patronatus Ecclesiastici subiaceant concursui, adeoq; & vicariæ personis Ecclesiasticis, seu earum Ecclesiis unitæ. Nam negatur consequentia, cum longè diversa sit ratio unius ab alia; qui enim sub patronatu est, verus omninò Rector est, nec potest patronus administrationi illius se immiscere. *c. noverint. 10. q. 1. c. præterea. 4. de iure patron. Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 3.* qui autem unitam habet parochiam, Rector est, alter vicarius & minister: maior hinc nexus est; maior auctoritas: cui quò minùs derogetur, & concordia à dependentia fulciatur; mirandum non est, si non æquè in unitis, atque patronatui subiectis Ecclesiis concursus præscripserit Concilium Tridentinum. Zypæus loc. præcit.

Secundum

§. 19. Advertendum tamen, quando unio non est ipsius tituli, sed tantum bonorum, decimarum &c. ita ut is, cui bonorum unio fit, nullum ius in beneficio retineat, nullamve in Ecclesia auctoritatem, tunc cui facta est unio, non fit Rector, aut primitivus Pastor, sed Sacerdos in ea Ecclesia constitutus, actu & habitu est Rector, & is cui talis facta est unio, proventuum utilitatem possidet instar prædii, non autem tituli spiritualis; & tunc secus est dicendum, & concursus faciendus, uti in Parochialibus, à quibus tales vicariæ nihil differunt, *Garcias de benef. part. 9. cap. 2. §. 2. n. 299. 300. & 301. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. n. 34. & 35. Zypæus in consultat. canon. loc. cit. Rota decis. 710. num. 1. & 2. part. 2. recent.*

Ubi tamen unio tantum esse facta bonorum, non autem tituli beneficii, concursus habet locum.

§. 20. Vicariæ autem, ubi deest instrumentum unionis vel annexionis, probantur & dignoscuntur ex diversis signis; atque in primis ex titulo Domini, quod v. g. dignitates, Collegia, vel Monasteria ius principalis Pastoris prætendentia, in locis vicariarum habent, iunctâ perceptione decimarum; dein ex oneribus, si nimirum sustineant omnia onera Ecclesiæ unitæ, tam ratione visitationis, quàm quæ pro reparatione & fabrica totius, vel partis eiusdem Ecclesiæ debentur, *Rota decis. 102. n. 243. & 4. part. 1. recent.* Item si teneantur suppeditare dictis Pa-

Vnde vicariæ dignoscantur.

P

rochi-

rochiis calicem, Missale, aut alia huiusmodi, *Stephan. D'Aluin. in trac. de potest. Episc. cap. 15. num. 3.* Potissimum tamen pro vicariis comprobandis argumentum est certæ portionis assignatio; merito enim receptum est, quod ubi certa portio Canonicis vel Monachis assignatur, & reliqui fructus vicario relinquuntur, ipse non propriè vicarius, sed parochus principalis censeretur, & bonorum Ecclesiasticorum habere rei vendicationem; non item, ubi certa portio assignatur vicario, ut patet in exemplo quotidiano, quando unio fit accessoriè, aut dum intra ambitum parochiæ, ob illius latitudinem, vel multitudinem populi nova Ecclesia ædificatur, & sacerdos ibidem constituitur cum certa portione; nam tunc illi, quibus unitæ sunt Parochiales, sicut & Parochi matricis, censentur Rectores principales, alii autem, quibus certa portio ex fructibus seu decimis assignatur, vicarij, *gloss. inc. exposuisti. 33. verb. necessitas. de præben. Abb. ad idem c. exposuisti. num. 10. & addit. ad eundem inc. postulasti. 27. de rescript. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. n. 16. Basseus in floribus Theolog. practic. verb. Vicarius. num. 5. Zypaus in consultat. canon. tit. de elect. consultat. 2. Rota decis. 710. num. 3. part. 2. recent. & apud Cavaler. decis. 595. num. 1. & 2.* Nam cum Parochus ratione sui beneficij omnia iura tam auctoritativa seu honorifica, quam utilia, ut sunt oblationes & decimæ, per districtum suæ parochiæ habeat sibi competentia, planum est, quod Sacerdos in ea constitutus cum congrua portione, parte verò iurium, oblationum, aut decimarum priori Parocho reservatâ, non sit in suo districtu Parochus ex proprietate sermonis, sed vicarius, manetq; alter Parochus primitivus, qui plerumque patronus Ecclesiasticus nominatur. Quod præcipuè obtinere solet in dignitatibus, & Collegiis Ecclesiasticis, quibus in dotem maximè olim altaria, atque Ecclesiæ Parochiales assignari, vel uniri consueverunt, quo titulo vel desuis Collegiis aliquè Sacerdotem, vel alium constituere solent auctoritate Episcopi Diocesani instituendum, qui Parochialia munia subeat, perceptâ ex proventibus Parochialibus portione competente, reliquis

reliquis autem dignitati, aut Collegio relictis: & qui sic constituuntur, procul dubio sunt vicarij: alij autem primitivi Pastores, apud quos cura animarum principaliter, seu habitualiter; apud vicarios verò minùs principaliter & exercitio tenus, seu actualiter residet: ideoq; dicuntur vicarij Rectores curæ animarum, licet propriè non sint Rectores Ecclesiæ. *gloss. in c. super eo. 6. verb. annexæ. de praben. in 6. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. num. 16. & seq. Layman Theolog moral. lib. 4. trac. 2. cap. 9. sub num. 8. Tametsi vicarij vulgari sermone, & ab exercito Pastores dicantur. Constant hæc ex c. ad audientiam. 3. de Eccles. edifican. & Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 7. & sess. 25. de reform. cap. 16. Zypæus loc. cit. Barbosa supra num. 26.*

D V B I V M VIII.

An Concordata Germaniæ capiant beneficia, in quibus quis habet regressum, vel ius Coadiutoriæ: ita ut Ordinarii ea in mensibus suis vacantia, in vim eorundem Concordatorum liberè conferre possint?

S. I. **N**otandum primò, regressum nihil aliud esse, quàm *Regressus quid sit.* reversionem ad beneficium cessum, seu dimissum; quod ius datur à solo Papa, quando nimirum in bullis resignationis beneficii concedit, ut si resignatarius præmoriatur, beneficium resignatum revertatur ad resignantem: ob publicam scilicet Ecclesiæ utilitatem, & personæ resignantis merita: unde liquet, quod regressus habeat causam iuris de præterito, & non simpliciter juris de futuro, cum supponat ius pristinum, sicut privatio habitum. *Rebuff. in praxi part. 3. tit. de regressibus. Mandosius de signat. grat. tit. regressus.*

gressus, *Flamin. Paris. de resignat. lib. 6. quest. 5. num. 6. 7. 8. & seq. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 21. Rota apud Cassador. decis. unica de pactis. num. 1. & 2.*

Quid Coadiutoria.

§. 2. Notandum secundò, Coadiutoriam hinc accipi pro gratia, quã quis à Superiore potestate habente alteri in subsidium adiungitur explendi officij causã: idq; pro maiori Ecclesiã bono; sive is sit Episcopus, sive alij Clerici inferiores animi aut corporis infirmitate impediti, aut aliã inhabiles & minù idonei ad munus suum exequendum; iustum enim non est, nec rationi consonum, ut Rector Ecclesiã simili casu inutilis effectus, suo privaretur beneficio, ne afflictio addatur afflicto. *c. de rectoribus. 3. c. ex parte. 5. & c. fin. de clerico agrot. & c. 1. eodem tit. in 6. Barbosa de iure Eccles. univ. lib. 3. cap. 10. num. 3.*

Coadiutoria duplex.

§. 3. Notandum tertio, Coadiutoriam aliam esse temporalem, seu revocabilem, quã datur ad tempus, & sine futura successione; aliam perpetuam, & cum futura successione, ut post cessũ, vel decessũ proprietarij, seu coadiuti beneficiũ conferatur coadiutori, ut ipse in eodẽ succedat (de qua hinc potissimũ agitur) *Flamin. Paris. de resignat. lib. 7. quest. 20. nũ. 13. Gõzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 9 nũ 38. & seq. Garcias de benef. part. 4. cap. 5. num. 1. 2. & seq. Chokier ad eandem reg. §. gloss. 1. num. 21. Barbosa loc. cit. in princip.*

Solus Papa concedit regressus & coadiutorias in beneficiis.

§. 4. Notandum quartò solius Papã esse, ex plenaria quam in beneficialibus obtinet potestate, concedere regressus & coadiutorias perpetuas cum futura successione, *Rebuff. loc. cit. Flamin. Paris. de resignat. lib. 6. quest. 5. num. 14. & 15. & lib. 7. quest. 20. num. 14. Gonzalez loc. precit. num. 34. Garcias de benef. part. 4. cap. 5. num. 17.* Et quamvis hæ gratiã superioribus sæculis ex Summorum Pontificum indulgentia fuerint satis crebrã & familiares, teste *Mandosio de signat. grat. verb. regressus* ubi ponit earum formulam. & *Fusco de visit. lib. 2. cap. 27. num. 4.* quia tamen succrescente hinc ambitiosã hominum cupiditate beneficia Ecclesiastica affectandi, & in proximiores transferendi, compertum fuit huiusmodi gratias hæreditariam successionem, seu ejus imaginem præferre, & inducere votum captandã mortis alienã, quã in beneficiis Ecclesiasticis ex Christi

Christi & pauperum patrimonio constitutis sunt vetitæ, sacris Constitutionibus, & Patrum Decretis omninò contrariæ, & expressè interdictæ. c. 1. Apostolica. 8. q. 1. c. ex transmissa. 7. & c. ad extirpandas. 11. de filiis presbyt. c. 1. de praben. c. consuluit. 25. de iure patron. & c. 2. de concess. praben. fuere postmodum tum à Concilio Tridentino sess. 25. de reform. cap. 7. tum à Pio V. Pontifice Maximo omninò sublata & prohibita, præterquam si in Ecclesiis Cathedralibus, aut Monasteriis urgens necessitas, aut evidens utilitas postulaverit Prælato dari successorem; & ejusce causâ prius à Summo Pontifice diligenter cognitâ, ac concurrentibus qualitatibus in Coadjutore requisitis. Vnde regressus hodie prorsus exulant ab aula, exceptis eis, qui conceduntur ob non solutionem pensionis, & aliis à jure adinventis, de quibus in c. si beneficia. 20. de praben. in 6. Flamin. Paris. de resignat. lib. 6. quest. 5. num. 110. Azor. practit. part. 2. lib. 7. cap. 21. quest. 3. & seq. Zypaus in analyt. iuris Pontif. lib. 3. de concess. praben. sub num. 2. Nihilominus quia Papa huic Conciliari & Pontificiæ Constitutioni derogando, seu contrarium statuendo, potest ad sui libitum ex causis sibi benè visis regressus in beneficiis concedere, Mandos. loc. cit. Flamin. Paris. loco etiam cit. num. 108. Branden ad Concordat. German. quest. 11. num. 8. Sicuti modò fit cum Coadjutoris perpetuis & cum futura successione, quæ à Pontificatu Sixti Papæ V. ad hæc usque tempora concessæ fuerunt, & passim conceduntur tam in Episcopatibus, quàm aliis quibusvis dignitatibus & Canonicatibus cum Cathedralium, tum Collegiatarum Ecclesiarum, Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 9. num. 48. 49. & seq. Garcias de benef. part. 4. cap. 5. num. 22. 23. & seq. Barbosa de iure Ecclesiast. univers. lib. 3. cap. 10. num. 32. & 33. Hinc non abs re videbitur, si ad bipartitam propositi dubii partem paucis respondeamus.

§. 5. Respondeo itaque primò, beneficia in quibus quis habet regressum, non cadunt sub Concordatis Germania: ita ut in quocumque etiam mense vacaverint, Ordinarius ea conferre minimè valeat, prout in terminis aliàs decidit Rota apud Cassador. decis. unica de pactis num. 1. & decis. 4. n. 1. & seq. de privileg. it em apud Puteum decis. 225. lib. 3. quam plenioris cognitionis

Beneficia obnoxia regressi non cadunt sub Concordatis.

Pii Papæ
5. Constit.
134 Bul
lariis tom.
2.

tionis ergò *infra hoc dub. in fine §. 6.* ponemus. Regressus enim cum fundetur in jure de præterito, & sit propriè ex voluntate resignantis, & Papæ admittentis præservatio seu continuatio primævi tituli; quia regrediens per mortem resignatarii reducitur ad eum statum, in quo erat ante renunciationem; ideoq; per fictionem juris nulla hîc intervenit vacatio, præsertim dum fit dispositio non in aliam, sed eandem personam; clarè sequitur non comprehendi sub Concordatis, quæ non capiunt, nisi beneficia verè & cessantibus fictionibus vacantia, & de quibus dispositio fit in diverlam personam. Et quamvis per eadem Concordata Papæ excludat in mensibus Ordinariorum omnes gratias præventivas & expectativas, eo tamen nomine indulta regressus non cententur, propter præstatum pristinum, seu primævum titulum, & dispositionem in eandem personam. Sic, ut licet per regressum videatur dari jus & facultas ad vacatura *c. ult. de præb. in 6.* quia tamen habet causam, & pendet à jure de præterito, merè & simpliciter præventiva non est, *Flamin. Paris. de resignat. lib. 6. quest. 5. per tot. præcipuè autem num. 41. & seq. & 69. Branden ad Concord. German. quest. 11. num. 1. Vvamesius consil. canonic. tom. 2. consil. 345. num. 2. 3. & seq. & eleganter decidit Rota apud Cassador. cit. decis. unica de pactis. & 4. de privilegiis.*

Concordata
capunt
Coadjutorias
perpetuas.

§. 6. *Respondeo secundo,* Concordata Germaniæ comprehendunt Coadjutorias perpetuas cum futura successione: adeoq; Ordinarii plenam habent potestatem beneficia Coadjutoriis obnoxia, in sex mensibus suis vacantia liberè conferendi; quia cum Papa non possit in eisdem mensibus beneficia vacantia conferre, sine expressa dictorum Concordatorum derogatione, ita nec Coadjutorias cum futura successione concedere, præsertim cum eadem Concordata excludant qualcumque gratias præventivas, & expectativas reservationes, ac collationes, & qualvis dispositiones, Ordinariorum jus, collationem, electionem, seu dispositionem in sex mensibus impediens, *Rota part. 1. recent. decis. 570. n. 9.* Sintq; omninò favorabilia, ac plenissimè ad favorem Ordinariorum interpretanda, utpote reducentia respectu dictorum sex mensium,

lum, materiam ad dispositionem juris communis, quo Episcopi sunt collatores beneficiorum omnium quovis mense vacantium. *c. regenda 10. q. 1. c. omnes basilic. e. & c. nullus omnino. 16. q. 7. Gonzalez ad reg. 8. cancell. S. 1. proœmiali. num. 21. VVamesius in consil. canon. tom. 1. consil. 262. num. 15. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. num. 52. Piafec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 2. num. 9. & 10. Chokier in comment. ad eandem reg. 8. n. 5. & 6. & gloss. 11. n. 10. & 11. Rota apud Gregor. XV. decis. 99. num. 2. & decis. 291. num. 1 & in addit. num. 4. & in recent. part. 2. decis. 416. num. 1. & decis. 756. ante fin. Itaque certum est, quod Concordata Germaniæ comprehendant Coadjutorias, & quod Ordinarii collatores, nisi Papa iisdem Concordatis expressè derogarit, beneficia in mensibus suis vacantia, non obstante titulo coadjutoriali, rectè conferant, Branden ad Concord. quæst. 11. num. 2. Piafec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 2. n. 10. Flamin. Paris. de resignat. lib. 6. quæst. 5. num. 70. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 5. S. 9. n. 11. VVamesius in consil. canon. tom. 1. consil. 33. n. 12. Chokier ad reg. 8. gloss. 11. n. 7. 23. & seq. D. Remouchamps Ictus Leodiensis in tract. de coadjutoris cap. 5. n. 15. & seq. Idq; per læpè à supremo Rotæ Romanæ Tribunali definitum fuit, tum apud Cassador. loco pract. tum apud Puteum decis. 108. lib. 2. & decis. 225. lib. 3. per tot. quam, cum perpulchra sit, hîc verbotenûs adscribere vilum fuit.*

DECISIO ROTALIS

Apud Puteum 225. lib. 3.

N.I.



N una Germana Concordatorum, quam proposui *Casus de*
die 11. Martii 1549. dubitavi, an stantibus verbis *quo.*
Concordatorum, maximè illis verbis: *Placet etiam No-*
bis, quod per quamcumque aliam reservationem &c. Papa
concedendo coadiutorias cum futura successione in
omnibus mensibus, dicatur Concordatis contravenire.

II. Et

In Concor-
dati du-
plex est re-
servatio.

II. Et pro resolutione fuit præsuppositum, quod in Concordatis fie-
bat mentio de duplici reservatione. *Primò* de reservatione scripta in iu-
re, & de ea Papa loquitur usque ad verba: *Placet etiam Nobis &c.* *Secundò*
de reservatione, quæ non est scripta in iure, & de ea habetur sermo in di-
cto versiculo: *Placet etiam Nobis &c.*

Concorda-
ta sunt pa-
cis vincu-
lum inter
Ecclesiam
Romanam
& Princi-
pes Ger-
manie.

III. *Secundò* fuit præsuppositum, quod Concordata facta erant ex
causa unionis, pacis & tranquillitatis inter Ecclesiam Romanam, & Prin-
cipes tam Ecclesiasticos, quàm Sæculares Nationis Germanicæ, & cum facta
facta ex dicta causa, Papa uberiores gratias concedere voluit Ordina-
riis Germaniæ, quàm per Regulam Cancellariæ concedat aliis Ordina-
riis: & gratia uberior in duobus consistit. *Primò* respectu temporis, quia
ubi Papa aliis Ordinariis concedit quatuor menses, istis Ordinariis Ger-
maniæ concessit sex menses. *Secundò* ubertas gratiæ ex alio constat, vide-
licet circa remotionem obstaculorum, quia quoad alios Ordinarios Pa-
pa in Regula de mensibus Ordinariorum tantum removet reservationes,
& gratias expectativas impediens dispositionem aliorum Ordinario-
rum. Et hinc Papa ultra reservationes, & gratias expectativas, voluit re-
move quascumque dispositiones impediens Ordinarios Germaniæ
in dispositione sua quoad illos sex menses.

Papa per
concessio-
nem coad-
iutoriarum
dicitur cõ-
travenire
Concorda-
tis.

IV. Istis sic præsuppositis, quod Papa diceretur contravenire, fuit per
omnes conclusum. Et quod *Decisio Cassad. unica de pactis* esset vera; &
pro conclusione dicebatur pro parte affirmativa, quod cui conveniunt
verba legis, convenit ipsa lex. Coadiutoria cum futura successione est
dispositio ad not. per Doct. in c. cum in illis. §. 1. de praben. in 6. Item per mor-
tem coadiuti beneficium dicitur vacare: cum coadiutoria non duret,
nisi durante vitâ coadiuti. *Cardinal. in c. fin. ubi materiam coadiutoria tractat.*
de Cler. agrot. Et sic cum coadiutoria sit dispositio de beneficio vacan-
ti, & Papa promittat in illis verbis, quod in sex mensibus non vult impe-
dire Ordinarios per suas reservationes, gratias expectativas, & quascum-
que alias dispositiones: item dicat, quod reservationibus aliis à præ-
missis, ac dispositionibus auctoritate Nostrâ factis vel faciendis, non ob-
stantibus quibuscumque; & sic tollat omnes dispositiones, & per conse-
quens coadiutorias.

Responde-
tur ad ar-
gumenta
contraria
primò.

V. Non obstant modo adducta in contrarium, ex quorum respon-
sione ista materia clara redditur; & in primis dum opponebatur de text.
in l. fin. §. cui dulcia. ff. de vin. trit. & oleo leg. & fuit motivum D. Antonii Bale-
sii; nam ibi dicitur, quod cui dulcia legata sunt, veniunt dulcia potabilia & co-
mestibilia. Sed si dictum fuerit, lego vinum amphorarium amineum, & omnia
dulcia, ex collatione vini tantum veniunt potabilia; ita in casu nostro el-
set dicendum, ut illa verba; vel quamvis aliam dispositionem, ex collatione
præce-

præce-

præcedenti verborum, essent restringenda ad dispositiones similes præcedentibus, videlicet reservationibus, & expectativis, quæ sicut sine consensu ad corpora incerta: coadiutoria vero sicut de consensu ad certum corpus, ergò sub illis verbis generalibus non venit coadiutoria; quia tantum illa universalis debet referri ad illa, quæ sunt eiusdem speciei, non autem dissimilis speciei per d. §. cui dulcia. Sed ad illum textum fuit responsum quatuor modis, & primò, quod illud procedit in materia restringibili, quia illa dictio: *quamvis aliam*, intelligitur similia expressis, non autem maiora. per nos. per Soc. in l. quidam relegatus. colum. 3. in 6. conclus. ff. de reb. dub. & per las. & Dec. in l. pen. C. qui admit. Sed hæc non eramus in materia restringibili, quod patet, quia concordia erat facta ex causa, & Papa propterea intendebat uberiorem istis Ordinariis gratiam, quam aliis tacere. Et si dicatur, quod text. in d. l. fin. §. cui dulcia. loquitur in materia non restringibili, quia in legatis, in quibus voluntates testatorum plenius interpretantur, l. in testamentis. ff. de regul. iur. fuit responsum, quod lex in testamentis non habet locum in legatis secundum Decium ibid. vel saltem d. §. cui dulcia, est strictè interpretandus, ex quo tractatur ibi de præiudicio hæredis, quo casu etiam in legatis fit stricta interpretatio, secundum Cagnol. in d. l. in testamentis.

VI. Vel & secundò fuit responsum, quod licet in principio illius §. *Responde-*
Placet etiam Nobis &c. Vbi Iurisconsultus incipiat ab enumeratione spe- *tur secun-*
 cierum, & idè genus esset restringendum ad similia specierum enume- *do.*
 ratarum, tamen in aliâ parte postea subsequenti ponitur genus absque e-
 numeratione specierum, ut patet in illis verbis: *reservationibus aliis à præ-*
missis, & dispositionibus non obstantibus quibuscumque. & sic cum generaliter
 loquatur, generaliter intelligi debet.

VII. Item & tertio fuit dictum, quod falsum erat, quod reservatio fie- *Responde-*
 ret tantum ad incerta corpora, cum etiam possit fieri de certo corpore, *tur tertio.*
 & de consensu possidentis, & illa appellatur specialis reservatio, ut per
Aneam de falcon. in tract. reservat. in 2. quest. princ. dum tractat de triplici re-
servatione speciali, & ideo cum reservatio possit fieri de consensu, & sine,
 ad certum corpus, & incertum, & Papa excludat quamcumque reserva-
 tionem, ita etiam excludit quamcumque dispositionem de consensu, vel
 sine, ad certum corpus, vel incertum.

VIII. Itaque verum erit dicere, quod verba: *quamvis aliam dispositionem.* *Concorda-*
 semper referantur ad similia expressis, & nisi dicamus, quod verbum *reser-* *ta exclu-*
ratio, præcedens excludat reservationem etiam de consensu, certè parata *dunt coadi-*
 esset via, quâ Concordata eluderentur, videlicet, quia quilibet conten- *utorias.*
 tiret, ut Papa beneficium pro suo nepote, vel consanguineo post obitum
 suum reservaret.

*Responde-
tur quario.* IX. Vel & quarto fuit dictum, quod illa verba: *vel quamvis aliam dispositionem*, etiam implicarent qualitatem similem in genere, videlicet quamvis aliam dispositionem impediendam Ordinarium in sua dispositione, ut sicut Papa excludit reservationem, & expectativam impediendam Ordinarios in sua dispositione, ita quamcumque aliam dispositionem impediendam Ordinarium in sua dispositione in illis sex mensibus.

*Responde-
tur cessam
ad alia ar-
gumenta:
ad primū.* X. Non obstant modo quatuor fundamenta D. Antonii Gabrielis, dum dicebat, coadiutoria de consensu non est simplex reservatio, nec simplex expectativa, dispositio ergo excludens expectativas, & reservationes, non excludit coadiutorias, tanquam sint dispositiones mixtæ; quia fuit responsum, quod si coadiutoria dicitur quid mixtum, propter consensum, quod etiam reservatio cum consensu, quæ est exclusiva, est etiam quid mixtum, ergo merito ab uno ad aliud licitum erit arguere. Item licet coadiutoria respectu consensu sit quid mixtum, tamen quia in isto casu non tractatur de ipsa coadiutoria, sed de illa successione, respectu cuius consensus defuncti nil operatur, sequitur, quod sumus in dispositione simplici, & istud est, quod dicit Alciat. in l. 2. colum. 2. de verb. obligat. quod quando duæ dispositiones æquè principaliter conglutinantur, tum iudicantur pro separatis & simplicibus, post Doct. quos ibi allegat.

Ad secundum. XI. Non obstat secundo, quod regressus in Concordatis non comprehendantur, ergo ne coadiutoria, cum æquiparètur, & hinc videmus, quod ex stylo Referendariorum in suspensione quarumcumque gratiarum, semper præservantur regressus & accessus, & de consensu coadiutoria. Quia fuit responsum, tenendo etiam decisionem Cassadori in illo casu contra ultramontanos, quod diversa erat ratio. Nam regressus idè non comprehenduntur sub Concordatis, quia ex voluntate resignantis non aliter volentis resignare, nisi reservato sibi regressu, & Papæ ita admittentis, per fictionem iuris non videtur inducta vacatio, sed potius est quædam continuatio primævi iuris, propter voluntatem eius, qui legem in se sua apposuit, & illa voluntas, tempore quo locus est regressui, adhuc durat, & sic fingitur, quod nulla intervenit vacatio, ex quo fiat dispositio in eandem personam, & non diversam, & Concordata videntur loqui de dispositione, quæ tempore vacationis fit in diversam personam; sed in coadiutoria ista fictio non vacationis fieri non potest, nec coadiutor dicitur continuare, cum ins esset titularis, & idè dispositio dicitur fieri in diversam personam, & non in eandem, idè dicitur contravenire.

Ad tertium. XII. Non obstat tertio, quod coadiutoria datur propter bene merita, & ideo dispositio simpliciter loquens non habet locum in dispositione remuneratoria. l. Aquilius Regulus. ff. de donat. quia istud non est unum, sed

sed datur propter necessitatem Ecclesiæ, cui coadiutus inservire non potest. *c. 1. de Cleric. agrot. in 6. & toto tit. extra, & in recompensam suorum laborum coadiutori datur portio fructuum. d. c. 1. & c. de rectoribus, de Cleric. agrot.* Et ideò si aliunde remunerationem habet, non debet sibi dari successio. Nec quod solvatur compositio, quicquam facit, quia propter compositionem non debet Papa à sua promissione recedere.

XIII. Non obstat *quartò*, quod per appositionem manus Papæ dando Coadiutorem, Ordinarius cessante coadiutoriâ, licet de iure sit futura successio, nihil de novo inducit, quia absque ea etiam Ordinarius disponere non potest; quia fuit responsum, & primo dubitatum fuit, an per dationem coadiutoris induceretur talis affectio, ut Ordinarius non possit cõferre; quia simile quod adducebatur de commendâ, nõ erat bonũ, quia in commendâ beneficium vacabat, & commendando Papa per manus appositionem declarabat, quod de eo disponere intendebat, sed in isto casu, quando datur coadiutor, beneficium non vacat, sed facit illud quod est de iure, & ideò non videtur per talem appositionem beneficium afficere, ita ut Ordinarius, cessante coadiutoriâ, non possit de beneficio disponere. Sed posito, quod per donationem coadiutoriæ, beneficium esset affectum, tamen cum Papa dicat in Concordatis, in dicto versu: *reservationibus aliis à præmissis, & dispositionibus non obstantibus quibuscumque*, & ista reservatio, seu affectio inter præmissas non sit enumerata, sequitur quod talis affectio Ordinario non obstat.

XIV. Non obstat etiam fundamentum *D. Marci Antonii*, quod sicut regressus præservantur, quia habent causam à iure de præterito, ita etiam & coadiutoriæ, cum videantur dependere ab illo iure de præterito; quia ex præmissis colligitur responsio, quod successio nullam dependentiam habet à iure de præterito, immò cum contineat duo æque principaliter, reputantur pro separatis iuxta dict. *Alciat. in l. 2. ff. de verb. obligat.*

XV. Non obstat motivum *D. Martini Roman.* dum dicebat, quod Papa de iure potest coadiutorem cum futura successione deputare, ut patet *can. sicut vir. §. Ecce his auctoritatibus. 7. quest. 1. & can. sequenti. §. non autem.* ubi Augustinus successit in Ecclesia Hypponenſi de consensu possessoris; quia non negatur, quin Papa istud possit, sed dicitur, quod stantibus Concordatis, passim Papa deputando coadiutores cum futura successione, dicitur Concordatis contravenire: ex quo verba Concordatorum conveniunt isto casu, ut in principio dixi. Et quando Papa in simili casu illorum iurium, ex causa de qua ibi. & similes personas de quibus fit ibi sermo, deputaret credo, quod Natio Germanica non contradiceret. Et ideò sublatis fundamentis istis, fuit conclusũ, quod decisio *Cassadori* esset vera.

Q 2

§. 7. Qua

Ad quartum.

Respondetur ulterius, idem, ad primum.

Et ad secundum.

*Allegatur
ea de re a
lia decisio
Rotalis.*

§. 7. Qua etiam de re non minùs insignis emanavit Decisio in causa Canoniciatus Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ oppidi Tûgrensis, Leodiensis Dioecesis, anno 1606. die 16. Junii, cuius tenor sequitur.

*Leodien. Canoniciatus Veneris 16. Junii. 1606.
coram R. P. D. Marquemontio,*

*Concorda-
ta capiunt
coadiutorias.*

N. I. **O**Riâ lite inter D. Leonardum provisum ab Ordinario Colatore de quodâ Canoniciatu, qui vacaverat de mense Aprilii 1603. & D. Herbertum, cui antea à sel. record. Clemente Papa VIII. fuerat dicti Canoniciatus cum futura successione concessa Coadiutoria, fuit dubitatum, an illa Coadiutoria obstaret Concordatis Germaniæ: & Domini responderunt inhærendum esse maiorum nostrorum sententiis, apud quos cùm iste articulus sæpè & copiosè fuerit discussus, semper fuit resolutum negativè, Coadiutorias scilicet non obstare Concordatis, idq; in hac causa fuit hodiè resolutum iuxta *decis. Cassador. unic. de pactis & 4. de privileg. Put. decis. 225. lib. 3. & 208. lib. 2.*

*Ratio af-
signatur.*

II. Ratio est, quia Coadiutoria cùm futura successione, qualis ista est, de qua agitur, cùm nihil habeant de præterito, sed totam vim suam recipiant à futuro, nempe à vacatione beneficii per obitum Coadiutori; unde cùm Coadiutoria sit dispositio de beneficio nondum vacante, & Papa promiserit, quod in sex mensibus non vult impedire Ordinarios per suas reservatorias gratias expectativas, & quascumque alias dispositiones, sequitur, quod nec per Coadiutorias; cùm intrent Concordata, quandoeumque datur vacatio, *Rebuff. super concord. Francia in tit. de reg. ad Pralat. no. in §. 1. in verb. vacantibus, in fine. Non obstat, l. fin. §. cui dulcia. ff. de vino. trit. & oleo leg. quia responsio habetur in alleg. decis. Put. 225. prout simile de regressu tollitur ex decis. Cassad. quia videlicet regressus habet causam iuris de præterito, & non simpliciter de futuro.*

*Responde-
tur ad ar-
gumenta
contraria.*

III. Et quod dicitur de mixtura, non urget, quia coadiutori consensus non facit mixturam respectu futuræ successio nis, quandoquidem quoad illam huiusmodi consensus nihil operatur, & ubi talis mixtura daretur, non propterea sequeretur non esse comprehensam Coadiutoriam in Concordatis, in quibus uti favorabilibus casus mixtus continetur.

*Papapo-
stolica oga-*

IV. Non obstat, quod Papa possit derogare Concordatis Germaniæ, ut

niæ, ut per moder. tract. super concord. q. 8. quia, ut dixit Rota in una Var-
 mien. Canonatus, 7. maii 1604. coram Reverendissimo Domino Rodiensi, non re Concor.
datis.
 est quæstio de potestate, sed de voluntate, & hoc casu non est expressè
 derogatum Concordatis. Cætera etiam visa sunt bene tolli per infor-
 mantes pro Leonardo. Itaque fuit conclusum Coadiutoriam non ob-
 stare Concordatis.

§. 8. Quæ quidem Decisiones compluribus alijs ab eadem He decisio-
nes pluri-
bus alijs
fuerunt con-
firmatae.
 Rota fuere postmodum confirmata, ut videre est decis. 10. firmatae.
 part. 3. lib. 3. diversor. num. 2. & apud Mohedan. decis. 10. alijs
 338. de privileg. & indult. per tot. item decis. 570. num. 9. part. 1.
 recent. Sed etiam à Paulo V. Pontifice Maximo corroborata
 gratiâ motus proprii in causa Canonatus & scholastiæ Tun-
 grensis, de quibus in mense Ordinario vacantibus per Præ-
 positum eiusdem Ecclesiæ, uti Ordinarium collatorem, in
 vim Concordatorum Germaniæ provisum erat, non obstan-
 te Coadiutoriâ à Sede Apostolica in his concessâ, sicuti retuli
 suprâ hoc tit. dub. 1. §. 16. & patebit amplius infrâ tit. 3. dub. 3.
 §. 13. sed & plures ea super re extant declarationes motus pro-
 prii tum Pii IV. Adriani VI. & Gregorii XIII. summorum
 Pontificum, apud Chokier ad reg. 8. gloss. 11. post num. 23.

§. 9. Quin & id extenditur ad indulta Cardinalium & Epi- Eademq.
ratio est de
Indultis
Cardina-
lium.
 scoporum, si quibus à Summo Pontifice data est facultas con-
 ferendi beneficia in mensibus S. Sedi reservatis vacantia (qua
 li gaudet Ser. mus & Rev. mus Princeps, ac D. Maximilianus Hen-
 ricus Episcopus & Princeps noster Leodiensis, tam pro Archie-
 piscopatu suo Coloniensi, quàm Leodiensi & Hildesienfi
 Episcopatibus) Siquidem ipsi cum de iure communi funda-
 tam habeant intentionem conferendi beneficia in omni mense
 vacantia, talia Indulta nihil de novo concedunt, nec pro-
 priè augent huiusmodi facultatem iure communi competen-
 tem; nec tam sunt privilegia, quàm quod per illa removeatur
 impedimentum obstars per Concordata & reservationes Apo-
 stolicas, ut optimè notarunt Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 24.
 num. 24. & seq. Garcias de benef. part. 5. cap. 5. num. 7. & post eos
 D. Nicolaus de Remouchamps trac. de Coadiutoriis. cap. 5. num. 16.

17. 18. & seq. Rota apud Gregor. XV. decis. 99. n. 2. & 3. & in addit. num. 4. & 5. ac decis. 291. num. 1. & 2. & in addit. num. 4. 5. & seq. & in recent decis. 416. num. 1. & decis. 756. ante fin. part. 2. adeo quod collatio facta vigore Indulti censeatur facta auctoritate Ordinaria. Gonzalez d. gloss. 24. num. 68. Rota apud Gregor. XV. cit. decis. 99. in addit. num. 5. Idcirco iidem vigore dictorum Indultorum, quæ non minus sunt favorabilia, & clausulis æquè prægnantibus munita, atque ipsa Concordata Germaniæ, beneficia Coadiutoriis affecta, in prædictis mensibus ritè & rectè conferunt; quandoquidem Papa citra eorundem Indultorum specialem & expressam derogationem, aut ipsorum indultariorum consensum, eiusmodi Coadiutorias concedere nequeat, aut soleat, *Flamin. Paris. de resignat. lib. 6. quest. 5. num. 69. 70. & seq. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 5. 8. 9. num. 11. & 12. VVamesius consil. canonic. tom. 3. consil. 33. num. 12. & 13. Chokier ad reg. 8. cancell. gloss. 11. num. 7. D. Remouchamps loc. cit. à num. 15. usque ad 19. Rota apud Mohedan. præcit. decis. 10. aliàs 338. de privileg. & indult.*

Locum ta-
men non
habet in
Indultis
Collegiorū,
aut Uni-
versitatū.

§. 10. Secus autem est in Indultis Collegiorum, Vniversita-
tum studiorum generalium, & Prælatorum, quibus citra as-
sistentiam juris communis extraordinariè, & ex mera Sedis
Apostolicæ benignitate, competit facultas nominandi, seu
providendi de beneficiis in mensibus reservatis vacantibus;
nam eiusmodi Indulta non comprehendunt Coadiutorias,
nec circa illarum concessionem requiritur prædictorum In-
dultariorum consensus: utpote, quod dicta Indulta eo casu
nitantur favore & privilegio speciali, soleantq; emanare ob
privatam sæpè utilitatem, respectu certorum beneficiorum
verè per obitum tantum certis mensibus Apostolicis vacan-
tium, salvisq; reservationibus, præventionibus, gratiis expe-
ctativis, & aliis beneficiis quæ contingeret Romanum Ponti-
ficem per manus appositionem afficere; manent enim affe-
cta Papæ beneficia, de quibus per gratiam Coadiutorialem di-
sponit, *Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 2. num. 174.* Ultra, quod
gratiæ Coadiutoriales etiam jure permissæ, & cum causis le-
gitimis à Summo Pontifice admittæ, & concessæ aliàs omni-
nò re-

nò redderentur eluforiæ; quippe quod procul dubio, præfertim Vniverfitates, seu earum Rectores & Decani, aut Provisores nunquam consentire vellent in ejuſmodi Coadjutorias, in præjudicium Magiſtrorum & Scholarium expectantium.

§. 11. Nec refert, quod aliquibus forſan Indultis concedatur prærogativa gaudendi Concordatis Nationis Germanicæ, inſtar Ordinariorum, cum decreto irritanti; quia illa reſpicere poteſt duntaxat executionem ſive modum conferendi & immitrendi taxativè, reſpectu dictorum beneficiorum verè per obitum, non autem fictè ſeu alio modo non vacantium, vel reſervatorum, aut per collationem expectativã, aut aliam manus appoſitionem affectorum; imò licet ejuſmodi Indulta tollerent gratias præventivas, tamen quia illa ſunt merè privilegia juris communis favore deſtituta, eorumq; conſeſſio non officiat, quò minùs integra, pleniorve poteſtas inabdicabiliter remaneat penes concedentem, c. dudum. 14. de præb. in 6. Gonzalez ad reg. 8. §. 2. proæmiali. num. 2. 10. & ſeq. VVameſius conſil. canonic. tom. 1. conſil. 255. num. 3. tacita & virtualis derogatio reſultans ex contraria diſpoſitione ſufficit; cùm ſolùm reſpectu Cardinalium, videlicet Epiſcoporum, ſeu Ordinariorum collatorum, quibus nimirum eſt impertita facultas conferendi ſublatis etiam præventivis, Rota deciderit requiri expreſſam in Coadjutoriis derogationem, Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloſſ. 5. §. 9. num. 12. & gloſſ. 24. n. 38. & ſeq. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 625. Chokier ad reg. 8. cancell. gloſſ. 10. n. 5. elegantiffimè D. Remouchamps loco cit. poſt Rotam apud Caſſador. deciſ. unica de pactis. & deciſ. 4. de privileg. puteum deciſ. 108. lib. 2. & diverſor. lib. 1. deciſ. 46. ac lib. 3. deciſ. 10. part. 3. Mohedan deciſ. 10. de privileg. & indult.

Etiã poſſentiſſimis clauſulis munitis.

§. 12. Verùm hiſce diutiùs non eſt immorandum, cùm paſſim in Germania, & maximè hac Diœceſi Leodiènſi non dentur per Summum Pontificem, nec admittantur Coadjutores in beneficiis, niſi de conſenſu Ordinariorum, uti nec in electivis, præterquam prævia electione per Capitulum, ſeu potius

Paſſim tamen in Germania non conceduntur coadjutoria

absque
sensu Or-
dinario.
rum.

potius prævio Capitularium consensu, concurrente ea de re speciali placito atque Indulto Pontificio, quod videre licet *suprà tit. 1. dub. 1. post §. 12. Branden ad Concordat. German. quest. 11. num. 2. D. Remouchamps loco præcit. num. 17.*

Differētia
regulæ 9.
Cancellar.
Apost. à
Concorda-
tis Germa-
nia.

§. 13. Ad differentiam porrò Regulæ VIII. nunc IX. Cancellariæ Apostolicæ à Concordatis Germaniæ, advertendum est, quod illa locum non habeat in Coadiutoriis, quia concessio alternativæ per eandem, habet in ventre clausulam, dummodò beneficia aliàs reservata, vel affecta non fuerint, ut loquitur *Rota decis. 570. num. 9. part. 1. recent.*

Regulæ
Cancella-
ria Apo-
stolicæ ex-
tinguun-
tur morte
Pontificis,
non item
Concorda-
ta Germa-
niæ.

§. 14. Insuper pro ulteriori differentia Regularū Cancellariæ Apostolicæ à Concordatis Germaniæ, notare libeat, quod Sede Apostolicâ vacante, cessant dictæ Regulæ reservatoriæ, & omnes menses sunt Ordinarii, possuntq; Episcopi tanquam ad ius commune redeunt, providere de beneficiis vacantibus in quolibet mense; secus autem quoad Concordata: nam beneficia eorum vigore reservata, etiam Sede Papali vacante, in mensibus Pontificiis vacantia, Successori remanent affecta, quia Regulæ Cancellariæ Apostolicæ morte Pontificis extinguuntur, non item Concordata. *Chokier*

in comment. regular. Cancell. in præm. num. 21.

Barbosa de off. & potest. Episc. part.

3. alleg. 57. sub num. 62.

DVBI-

DUBIUM IX.

An Ordinarii in mensibus Summo Pontifici reservatis valeant recipere resignationes, aut permutationes, & beneficia resignata, seu permutata liberè conferre, non obstantibus Concordatis Germaniæ, aliisque Constitutionibus Apostolicis?

§. I. **P**RO adæquata hujus dubii resolutione notare liceat Quo in
ligantur
nomine
Ordinarii
in materia
collationis
beneficiorum. primo, nomine & appellatione *Ordinarii* in materia collationis (qualiter & passim in hoc tractatu accepimus) censei eos, qui habent de jure, vel privilegio, aut consuetudine Ordinariam collationem, seu dispositionem, *gloss. in extravag. execrabilis. verb. Ordinario.* quibus verbis nedum comprehenduntur Ordinarii, quibus jure communi libera competit omnium beneficiorum suæ Diocesis dispositio, quales sunt Episcopi in propriis Diocesis, *c. omnes basilica. c. nullus. 16. q. 7. c. cum olim. 18. de prescript.* Sed etiam inferiores, uti Abbates, Præpositi, Archidiaconi, Decani, Capitula, aliiq; Episcopo inferiores, qui consuetudine, vel privilegio, non de jure Ordinariam habent conferendi facultatem, *c. cum satis 4. ibi gloss. verb. consuetudinis de off. Archid. Clem. unica. de supplen. Pralat. neglig. & gloss. in verb. ordinarium. Clem. unica ut lite penden. Flamin. Paris. de resignat. lib. 8. quest. 9. num. 23. & seq. Francisc. Leo in thesaur. fori Eccles. part. 2. cap. 1. num. 71. Gregor. Tholos. tract. de benef. cap. 38. num. 2. Garcias de benef. part. 5. cap. 4. num. 1. 2. & seq. Chokier ad reg. 8. cancell gloss. 10. num. 1. 2. & seq. & in comment. ad reg. 14. cancell num. 1. & 2.*

§. 2. Notandum *secundò*, resignationem seu renunciatio-

R

nem

Resignati-
onis quid-
duas.

nem esse spontaneam proprii beneficii dimissionem factam coram legitimo superiore id acceptante : ea autem bifariam dividitur, in *expressam*, seu quæ verbis expressis fit, aut scripto, (& de qua hic solum agimus) & *tacitam*, quæ fit facto aliquo renunciationem significante, plerumque etiam ex juris dispositione *Clem. gratia. de rescript.* puta, si beneficiatus nullo Ordine sacro initiatus matrimonium contrahat, *c. 1. & c. quod à te. 3. & c. diversis. 5. de cleric. conjug. militiæ nomen det, c. in audientia. 25. de sent. excommunic. gloss. in c. ultim. verb. redierint. de cleric. non resign.* aliud beneficium incompatible accipiat, *c. de multa. 28. de praben. Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 5. & sess. 24. de reform. cap. 17.* Si lite super beneficio mota cedat, *l. postquam. 4. C. de patris. l. si filius. 30. ff. de minor.* vel eam intra tres annos non prosequatur iuxta *reg. aliàs 33. nunc 35. Cancell.* si post curatum acceptum intra annum, ad sacerdotium non promoveatur, *c. licet canon. 14. & c. commissa 35. de elect. in 6.* sicuti latius videre est apud *Rebuff. in praxi tit. de tacit. renunciat. Flamin. Paris. de resignat. lib. 1. quest. 1. per tot. Azor. instit. moral. part. 2. cap. 19. quest. 2. Chokier. ad reg. 8. gloss. 7. à num. 13. & seq.*

Resignatio
expressa
est duplex.

§. 3. Notandum tertio expressam resignationem iterum esse duplicem, aliam *puram & simplicem*, quando videlicet beneficium purè & simpliciter resignatur ad manus superioris, absque ulla conditione, pacto, aut reservatione pro resignante; aliam verò *conditionalem*, cujus duæ sunt species: una quæ fit in favorem certæ personæ, & non aliter, nec alio modo, nisi ut de beneficio resignato fiat gratia illi, in cujus favorem fit resignatio, reservatâ resignanti aliquâ pensione, aut jure, aut non reservatâ. Altera est, quæ fit causâ permutationis, cum duo beneficiati unum vel plura sua beneficia Papæ non reservata in manu Episcopi sui Diocesani resignant, eâ conditione, ut postea alteri alterius beneficium conferatur. *c. ex parte. 12. de off. deleg. Azor. supra quest. 3. Lessius de just. & iure. lib. 2. cap. 34. dubit. 35. & 36. Chokier ad reg. 8. gloss. 7. num. 2. & 3. Layman Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 17. num. 3. & seq. Barbosa de iure Eccles. Vnivers. lib. 3. cap. 15. & ibid. §. 1.*

§. 4. Notandum quarto in præfenti non quæri de resignationibus

tionibus conditionalibus, seu ad favorem certæ personæ, si-
 quidem excepto solo Pontifice Maximo, qui eâ, quâ præemi-
 net auctoritate, prohibitiones per Canones inductas tollit, &
 omne Simonix vitium excludit, *gloss. verb. illicitè. in c. cum*
pridem. 4. de pactis. Rota apud Coccin. inter impress. decis. 40.
num. 5. nullis Ordinariis, etiam legatis de latere, & Nuntiis
apostolicis, citra Simonix labem, eas admittere fas est, gloss.
verb. dimittere. in c. ex parte. 12. de off. iud. del. g. Rebuff. in pra-
xi tit. de resignat. c. n. d. in favorem. num. 1. Navar. in ma-
nuali cap. 23. num. 107. ad decimum. Flamin Paris de resignat.
lib. 14. quæst. 3. num. 12. Gomez de trien. possess. quæst. 16. versic.
postremo Less de iust. & iure lib. 2. cap. 35. dubit. 14. num. 87. Gar-
cias de benef. part. 11. cap. 3. num. 152. Chokier ad reg. 8. gloss. 7.
num. 4. Layman Theolog. moral. lib. 4. trac. 2. cap. 17. num. 6.
 ea præcipue ex causa, ne sanctuarium Dei hæreditario iure,
 aut sanguinis affectu, quo quivis beneficiatus posset, ut hære-
 dem in patrimonio, ita & pro libitu successorem constituere
 in beneficio; sed liberâ electione deferatur, iuxta *text. in c.*
Episcopo. c. Moyses. & c. Apostolica 8. q. 1. & c. Adhac 15. de decimis. c.
consuluit. 15. de iure patron. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap.
15. §. 1. num. 55. Quare Pius Papa V. peculiari hac de re editâ
Constitutione infrâ adducendâ vetuit, ne verbo quidem, aut
nutu, vel signo futuri in huiusmodi beneficiis successores, ab ipsis
resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designen-
tur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam inten-
tio qualiscumque intercedat.

Hic non a-
 giur de
 resignatio-
 nibus con-
 ditionali-
 bus, quia
 eas solus
 Papa ad-
 mittit.

§. 5. Quamquàm in utroque foro licitum sit, post-
 renunci-
 ationem beneficii purè & liberè factam procurare, & humili-
 ter postulare, ut beneficium illud certæ personæ conferatur, ut
 colligitur ex *c. tua nos. 34. in 2. respons. de simon. Navar. supra. n. 107.*
Quaranta in sum. Bullary. verb. benefic. ii. resignationes. vers. pro
complemento. Barbosa loc. cit. n. 59. & seq. Diana resolut. moral. part.
5. trac. 14. resolut. 26. sub fin. Rota apud Cassador. decis. 2. num. 6.
& 7. de simonia. Imò & eâ spe dimittere, quod Ordinarius con-
feret dictæ personæ, quando nihil horum est in conventionem
 deduc-

Licet ta-
 men post-
 gnatio-
 ne per-
 sonam cer-
 tam com-
 mendarè.



deductum. *Quaranta ibidem. Garcias de benef. part. II. cap. 3. §. 2. num. 161.*

*Potestas
Episco-
rum in ad-
mittendis
resignatio-
nibus li-
mitata.*

§. 6. Quibus prælibatis, *Respondeo primò*, licet olim Ordinarii scilicet Episcopi Diocesani potuerint passim quorumcumque beneficiorum Sedi Apostolicæ non reservatorum resignationes simplices admittere, *c. admonet. 4. de renunciat. gloss. in Clem. unic. in verb. manibus. eod. tit. & inc. de regularibus. 25. verb. dimittant. de simon. hodie tamen per Constitutionem Pii Papæ V. potestas illa est restricta & determinata ad certos duntaxat casus, quos ex eiusdem sanctionis Pontificiæ hinc adscriptæ tenore uberius cognoscere lubebit.*



PIUS PAPA V.

Exordium



AD perpetuam rei memoriam. Quanta Ecclesiæ Dei incommoda omni tempore attulerit, & nunc quotidie magis afferat ministrorum in eam ingressio vitiosa, iam latè perspiciant, & cum mœrore expendant Præsules omnes & Pastores, quando hæc pernicies cæterarum omnium maxima tam multas orbis Ecclesias impiè violarit.

*Pis Papa
5. Constit.
58. Bullar.
iii tom. 2.*

*Hic Pon-
tiff. & alias
suspendit
facultates
admitten-
di resigna-
tiones be-
nificiorum,
& de illis
sic vacan-
tibus dis-
ponitur.*

Num. I. Quia verò hoc malum cum in cæteris frequens, tum maxime in beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum dimissione admittitur, nemini molestum esse debet, quod perinde de reprimendis quotidianis fraudibus, quæ hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem initari, officii Nostri partes in prohibenda omnibus interim resignatio-

num

num huiusmodi receptione paulò severiùs interposuerimus, omnesq; beneficiorum interim resignandorum dispositiones, quæ fierent, in irritum revocaverimus, ac etiam decreverimus, nullum per eas in illis ius, neque titulum vel coloratum) tam in petitorio, quàm in possessorio ipsis provisum tribuere, quin etiam eos ad illa deinceps obtinenda perpetuò inhabiles fore. Collatores verò aliàs in illorum dispositione, etiam tanquam devolutionis iure, sese interponere non posse, sed de eis ut verè vacantibus, sive per Romanos Pontifices, sive alios collatorum eorundem Superiores, uti præventum esset, liberè provideri.

II. Nunc autem intendentes institutum hoc Nostrum, quo Sanctuarium Domini cupimus illibatum, auctore Domino persequi, ac simul quantum est in Nobis, cauere, ne resignationes ipsæ dehinc pro cuiusque arbitrio, nullisq; vel certè leuibus de causis passim & temerè admittantur, prohibitionem, & alia prædicta, ac cætera omnia Nostris super his literis contenta eatenus relaxamus, ut posthac Episcopi, & alii facultatem habentes, eorum dumtaxat resignationes recipere & admittere possint, qui aut Senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiiati, aut crimini obnoxii, censurisq; Ecclesiasticis irretiti aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inservire; seu qui unum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contingerit promoveri; Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exe-

Modo declarat. quæ resignationes de cætero admitti & recipi possint per Ordinarios Episcopos & Diocesanos.

quantur. Denique cùm quis ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione fel. record. INNOCENTII Papæ III. de dimittendis cathedralibus ecclesiis editâ continentur. Qui etiâ ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficii residere securi, sed nec horum ullus Sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus valeat ullo modo beneficium, vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit provisum, quo in vita possit commodè sustentari. Adhæc beneficiorum & officiorum permutationes admittere, quæ canonicis sanctionibus, & Apostolicis Constitutionibus permittuntur.

Hæc Innocentius 3. Constitutio est in c. 10. de renunciati.

Et præcipit Episcopis, præsentatoribus, & electoribus, quæ cave-re debeant.

III. Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes electores, præsentatores & patroni, tam ecclesiastici, quàm Laici quicumque sint, ne verbo quidem, aut aut nutu, vel signo, futuri in huiusmodi beneficiis & officiis successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione vel hortatu designentur, aut de his assumendis, promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

Prohibetque beneficia resignanda conferri consanguineis collatorum, vel resignantium.

IV. Ceterùm præcipimus atque interdiciamus, ne ipsi Episcopi, aut alii collatores de beneficiis, & officiis resignandis prædictis, aut suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere; quod si secus, ac etiam quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quocumque temerè attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere.

V. Qui

V. Qui verò contrafecerint, ut in eo, quo deliquerint, puniantur, à beneficiorum & officiorum collatione, nec non electione, præsentatione, confirmatione & institutione, prout cuique competierit, tam diu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere; & qui talia beneficia seu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus subjacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, præsentare, confirmare, vel instituere ausi fuerint, excommuicationis quoad personas, quò verò ad Capitula & Conventus, à Divinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus; quibus etiam nullus alius, quàm ipse Romanus Pontifex, sive absolutionis, sive relaxationis gratiã (excepto mortis articulo) valeat impertiri. Prohibitione, & literis Noltris prædictis nihilominus in cæteris omnibus perpetuò valituris.

Contravenientibus pœnas infligit.

VI. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis, generalibus & specialibus, quibuscumque Episcopis & aliis superioribus, ac inferioribus Ecclesiarum Prælatibus, nec non Ecclesiis, Monasteriis, & Capitulis, Conventibus, Collegiis, & Vniversitatibus, eorumq; & aliis personis, etiam Regiã, & Imperiali Majestate præditis, sub quacumque verborum forma, & conceptione concessis, per quæ effectus præsentium impediri posset quomodocumque, vel differri: etiamsi de eis, ipsorumq; totis tenoribus ad verbum, ac de propriis nominibus eorum, nec non Ecclesiis, Monasteriis, locis, Ordinibus, & dignitatibus; de quibus, nec non causis, propter quas illa concessa sunt, specialem & expressam præsentibus fieri oporteret mentionem,

Contrariis derogat.

VII.

*Publicari
hanc Con-
stitutionē
jubet.*

VII. Ceterum jubemus easdem presentes ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, & in acie Campi Flori publicari, & earum exempla affigi, Volumusq; eas sic publicatas, omnes & singulos perinde afficere & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ.

*Exemplis
credi man-
dat.*

VIII. Exemplis quoque prædictis, etiam impressis, manuq; Notarii publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel ejus curiæ obsignatis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octavo. Kalend. Aprilis, Pontificatus Nostri anno tertio.

*Constitutio
ista expli-
catur.*

§. 7. Ex qua quidem Constitutione manifestè patet, eas tantum coram locorum Ordinariis Episcopis Diocesanis admitti resignationes, quæ fiunt ex causa senii, vel infirmitatis, aut si resignans sit corpore impeditus, utpotè ob lepram, scabiem herculeam, paralyim, apoplexiam, morbum comitialem, chiragram: vel vitiatus, qualis est cæcus utroque oculo, claudus, loripes, gibbosus, aut aliàs notabiliter diminutus quâlibet corporis parte, aut crimini obnoxius, veluti simoniacus, homicida, adulter, concubinarius, inforDESCENS in excommunicatione, perjurus, blasphemus ante privationis sententiam, vel censuris Ecclesiasticis subjectus, aut qui nequit Ecclesiæ inservire, quales sunt prioris articuli exempla; quibus adde Clericum bannitum, damnatum, mutum, & qualemcumque irregularem; insuper ob vitam scandalosam & probrosam, imperitiam, sive illiteraturam, execrabilitatem, seu beneficiorum incompatibilium pluralitatem, status mutationem; si videlicet Clericus matrimonium est contracturus, vel religionem ingressurus, paulò antequam profiteatur; nec
non

nōn ob causas relatas in *c. nisi cum pridem. 10. de renunciat.* quæ his duobus versibus continentur.

*Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis ;
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.*

§. 8. Denique eorum resignationes poterunt recipere, qui nequeunt, aut non audent in loco beneficii residere propter capitales inimicitias. Prohibetur tamen Ordinariis, ne beneficia ad ipsorum manus renunciata conferant suis, vel dimittentium consanguineis, affinis, vel familiaribus, de quibus latè vide *Flamin. Paris. de resignat. lib. 5. quest. 6. per tot. Quarrantam loc. prait. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 19. quest. 5. ferre. Chokier ad reg. 43. aliàs 44. num. 54. & seq. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 15. §. 2. usque ad num. 113.*

Episcopi nequeunt beneficia resignata suis, vel dimittentium consanguineis com.

§. 9. Respondeo secundo, in casibus prædictâ Constitutione expressis, possunt Episcopi Diocesani in quocumque etiam mense beneficiorum resignationes admittere, eaq; liberè conferre, non obstantibus Concordatis Germaniæ; dummodò tamen sint talia, quæ aliàs in mensibus non reservatis per obitum vacantia ad ipsorum Ordinariorum dispositionem pertinerent, & resignatio in illo casu, alio speciali jure non sit prohibita, prout prohibetur resignatio promovendorum ad Pontificalem Dignitatem *c. cum in cunctis. 7. §. cum verò. de elect. & reg. 26. cancell. Branden ad Concord. German. quest. 9. & 12. num. 13. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 14. num. 31. Piafec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 2. num. 3. Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 29. & 30. nec non ad reg. 24. num. 19. & seq.* Siquidem per reservationem Concordatorum non censetur Pontifex voluisse conditionem Ordinariorum Germaniæ facere deterio- rem, seu durio- rem, illisve plus detrahere, quàm solent Pontifices aliis Episcopis aliarum provinciarum: at per reservationem Regularum Cancellariæ Apostolicæ, quibus ligantur omnes Ordinarii, solent Pontifices excipere modum vacationis per resignationem, ut expressè quoque habetur in *reg. 9. cancell. Aliàs, quàm per resignationem quocumque modo vacatura &c.* Vbi reservat beneficia omnia in mensibus alternatis quocumque modo, & aliter, quàm per resignationem va-

Episcopi in quovis mense admittunt beneficiorum resignationes & permutationes.

S

cantia,

cantia; atque ita ex identitate rationis etiam per renunciationem ex causa permutationis, ut minus, quam fieri possit, vitetur reservatio, & juris communis correctio, *c. cum expediat. 29. de elect. in 6.* quia permutatio includit in se resignationem in favorem permutantium, & nihil aliud est, quam reciproca resignatio, quæ fit inter utrumque permutantium, *text. in c. unico de rerum permutat. in 6. & Clem. unic. eod. tit.* ut proinde non secus, ac simplices resignationes, ab Episcopis etiam in mensibus Sedi Apostolicæ reservatis, expediri valeant, uti definit sacra Cardinalium negotiis Episcoporum præpositorum Congregatio, teste *Gavanto in manuali verb. beneficiorum permutatio. n. 5. Branden dicta. quest. 12. num. 13-14. & 15. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 14. num. 32. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 2. n. 543. Chokier in tract. de permutat. part. 1. cap. 3. & ad reg. 8. cancell. gloss. 7. num. 5. & gloss. 11. num. 29.*

An Episcopo inferioribus possint recipere resignationes?

§. 10. An verò Abbates, Præpositi, Archidiaconi, Decani, Capitula, aliiq; collatores Ordinarii Episcopo inferiores, valeant recipere resignationes, & permutationes beneficiorum ad ipsorum collationem spectantium, non adeò expedita est quæstio, variâ & ambiguâ Doctorum opinione implexa: verumtamen ut ego hîc meum fatear scrupulum, in praxi tutius & verius, ac stylo Romanæ Curie conformius semper existimavi, nequaquam posse; Superior enim, quæ auctoritatem præstat resignationi, non intelligitur collator, sed is, qui potestatem habet instituendi & destituendi, *gloss. in Clem. unica. verb. manibus. de renunciat. Rotæ decis. 6. aliàs 311. n. 2. de rer. permutat. in nov. & decis. 8. aliàs 290. de renunciat. in antiq. & apud Bisignet. decis. 5. de renunciat. & apud Mantica decis. 68. n. 6. & decis. 260. n. 7.* quia renunciatio habet vim destitutionis, cum per eam renuncians desinat esse intitulatus & beneficiatus: ideò non mirum, si non possit fieri, nisi coram eo, qui potest destituere, videlicet Episcopo, ad quem tam institutio, quam destitutio Sacerdotum noscitur pertinere, ut loquitur *text. in c. ex iniuncto 12. de heret. c. admonet. 4. de renunciat. Abb. in c. accepta. 3. de vestit. Spoliat. num. 8. Rotæ apud Card. Mantica cit. decis. 260. n. 7.* unde non valet consequentia, potest instituire, ergò potest

test destituere; nam unum fit judicialiter, alterum extrajudicialiter, & jurisdicatio voluntaria non includit contentiosam, *Abb. in d. c. accepta. 3. prope fin. de restit. Spol. Chokier de iurisdic. Ordin. in exempt. part. 4. quest. 67. num. 2.* Et ita licet collatio beneficii spectet ad inferiorem Episcopo, eius tamen resignatio debet fieri in manibus Episcopi Diocesani, collatio autem ab inferiore, ad quem spectat, vel ab Episcopo cum illius consensu, *Flamin. Paris. de resignat. lib. 3. quest. 4. num. 64. & lib. 7. quest. 14. num. 17.*

S. II. Generaliter ergò tenendum est, quod Prælati, & alii quotquot collatores Episcopo inferiores, utpote jure speciali beneficia conferentes, quoniã destituere nõ possunt, resignationibus auctoritatem non interponunt, uti censent *Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. renunciatio. ad quartum. Flamin. Paris. de resignat. lib. 7. quest. 30. à num. 6. usque ad fin. & quest. 14. 15. & 16. per tot. Sanchez consil. moral. lib. 2. cap. 1. dub. 31. num. 9. & cap. 2. dub. 29. num. 1. & 2. tom. 1. Azor. insit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 19. quest. 7. Gregor. Tholos. tract. de benef. cap. 31. sub num. 11. Rebuff. in praxi in forma vicariatus. num. 104, 105. & 106. Garcias de benef. part. 11. cap. 3. §. 1. num. 251. & seq. Chokier tract. de permutat. benef. part. 1. cap. 12. num. 3. Canisius ad lib. 3. Decretal. tit. 9. num. 5. Barbosa de off. & potest. Episc. alleg. 69. num. 1. & 4. Ac persæpè à supremo Rotæ Romanæ Tribunali decisum est, & nominatim decis. 6. aliàs 311. de rerum permutat. in nov. & decis. 5. aliàs 218. & decis. 8. aliàs 290. num. 1. de renunciat. in antiq. ac decis. 5. eod. tit. in antiquior. nec non apud Card. Mantican decis. 68. num. 6. ubi. Tertio obicitur, quod etsi constaret D. Antonium de Toledo, qui contulit beneficium, esse Commendatorem, & ad ipsum spectare ius conferendi, tamen cum sit inferior collator, non potuit admittere resignationem: quia huiusmodi facultas ei tantum conceditur, qui potest instituire & destituere. Quod & confirmatur decis. 260. n. 7. penes eundem Mantican, & novissimè apud Duran part. 1. decis. 237. num. 20. & 21. hisce verbis. *Et tantò minus, ex quo dicta libera resignatio fuit facta coram inferiore Collatore, qui non potuit acceptare, sed debuit fieri coram Episcopo, quã facta & admissa, poterat inferior collator alii conferre, & non aliter, ut quotidie practicatur. Et ratio est, quia**

Tutior est
sententia
negativa.

dimissio ad effectum abdicandi ius, debet fieri coram illo, qui nedum habet potestatem instituendi, sed etiam destituendi; quales sunt Papa, Legatus à latere, & Episcopus, non autem Collator &c. Haecenus Rota non minus doctè, quàm eleganter.

Item est in
permuta-
tionibus.

§. 12. Et idem est in permutationibus beneficiorum, quas præter Papam, & Legatum de latere, soli Episcopi recipiunt. *text. in c. quasitum. 5. de rerum permut. & c. admonet. 4. de renunciat. gloss in Clem. unica verb. conferantur. de rerum permutat. Rebuff. in praxi. tit. de permutat. n. 20 & in 3. part. signat. vers. nec non iuris patronatus. num. 42. Navarr. consil. 97. num. 2. lib. 5. Decretal. de simonia. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. num. 196. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 29. vers. Quarto quaritur. & seq. Mantica de tacit. & ambig. convent. lib. 25. tit. 8. num. 1. 2. 3. & seq. & optimè D. Aluin de potest. Episcoporum. cap. 11. num. 5. 10. 11. & 12. Garcias de benef. part. 11. cap. 4. num. 68. & 69. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 15. §. 5. num. 175. Chokier de permutat. benef. part. 1. cap. 6. num. 1. & cap. 7. num. 4.*

Rota Ro-
mana De-
cisiones
maximas
sunt au-
thorissimas.

§. 13. Præmissa porrò Rotæ Romanæ interpretatio, non obstantibus contrariis privatorum Doctorum sententiis, omninò sequenda est, & à prædictis Ordinariis Collatoribus Episcopo inferioribus quandoque potestatis suæ in hisce limites excedentibus, & Episcopalia jura usurpantibus meritò attendenda, cum exploratum sit, Decisiones Rotæ maximi apud omnes esse ponderis, & majoris auctoritatis, quàm communem Doctorum opinionem, ut ab ea recedere, vel eidem refragari nefas reputetur. *Gomez ad reg. cancell. in proæm. quest. 2 §. quarto. Vestrius in praxi lib. 2. cap. 17. in annot. num. 2. & 3. ac lib. 6. cap. 1. num. 18. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. Rota tribunal. Gregor. Tholosan in syntagm. iur. univers. lib. 15. cap. 29. num. 15. & cap. 42. num. 15. ubi ait, Auditorum Rota iudicia pro oraculis haberi. Garcias de benef. in præfat. Chokier ad preces primar. sect. 3. sub lit. B. Gndelinus de iure no viss. lib. 6. cap. 3. num. 11. ubi sic inquit. Prætermittendum verò hic non est, nobilissimum & summum illud tribunal, vocant Rota, in quo duodecim clarissimi iuriconsulti Auditores audiendis cognoscendisq; causis, qua undique ad iudicium summè Pontificis deferuntur, deputati, quorum Decisiones tanti ubique fiunt, ut penè pro Constitutionibus Pontificiis allegentur. ita ille.* §. 14.

§. 14. Vnde rectè concluditur, quod Abbates, aliiq; Prælati supranominati Episcopo inferiores, haud possint resignationibus, aut permutationibus beneficiorum recipiendis sese intromittere, nisi sint tales, qui consuetudine, aut ex privilegio Summi Pontificis habeant ius Episcopale, seu iurisdictionem quasi Episcopalem, nulli Episcopo proximè subiecti, quod insinuari videtur suprâ adductâ Pii Papæ V. Constitutione, nam ibi post Episcopos, subiungitur, & alii facultatè habentes, eorum duntaxat resignationes recipere & admittere possint, quæ aut senio confecti &c. gloss. in Clem. 1. de rebus Eccles. non alienan. verb. proprii. Flamin. Paris. de resignat. lib. 7. quest. 16. n. 6. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 29. quest. 4. Garcias de benef. part. 11. cap. 3. §. 1. nu. 254. & cap. 4. num. 70. Canisius loco præcit. Chokier in trac. de permutat. benef. part. 1. cap. 2. sub num. 6. & cap. 6. num. 2. D'Alvin loc. cit. num. 12. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 69. num. 4. & de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 15. §. 5. num. 175. cùm Episcopalia iura ab inferioribus per præscriptionem possint acquiri, c. auditis. 15. & c. cùm olim 18. de præscript. D'Alvin cap. 12. num. 4. & cap. 22. num. 20. Canisius loco cit. Rota decis. 324. num. 12. part. 1. recent.

§. 15. Cæterum in permutationibus, uti & resignationibus requiritur consensus illorum, ad quos collatio, electio, seu præsentatio pertinet, sive sint Clerici, sive laici, quia ipsorum interest, quamvis Episcopus totum debeat expedire, gloss. in c. unico verb. collationem. de rerum permutat. in 6. & in Clem. unica. verb. conferantur. eod. tit. Rebuff. loco antecit. num. 21. Lessius suprâ num. 193. & 198. Garcias de benef. part. 11. cap. 3. num. 22. & cap. 4. num. 72. Chokier de permutat. benef. part. 1. c. 12. num. 2. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 15. §. 5. num. 182. Quamvis Piafec. in praxi Episc. par. 2. cap. 5. art. 1. num. 16. & 17. usitatio-rem doctrinam censeat, quod nimirum beneficium patronatum resignari possit absque consensu patroni, minimè tamen confertur absque eius consensu: & ita à Rota Romana decisum refert idem Piafec. ibid. Quin & dum permutatio vergit in utilitatem Ecclesiæ, sufficit patronos tantum requirere,

Itaque
Abbates,
& quos-
quos aia
Episcopo
inferiores,
nisi iura
Episcopa-
lia haben-
tes, neque-
unt resi-
gnationes,
aut per-
mutatio-
nes recipere.

In resigna-
tionibus &
permuta-
tionibus
beneficio-
rum re-
quiritur
collatorum,
& patro-
norum con-
sensus.

licet consentire nolint. *Rebuffus loco cit. num. 22. Lessius supra. Garcias loco cit. cap. 3. num. 26. 27. 28. & seq. & ita à S. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Congregatione declaratum refert Chokier in trac. de permutat. benef. part. 3. cap. 19. sub num. 10.*

In permutationibus beneficiarum diversarum diocesium requiritur utriusque Episcopi auctoritas. §. 16. Interim pro praxi obiter est advertendum, dum beneficia quæ permutantur, sunt diversarum Diocesium, requiri utriusque Episcopi auctoritatem; quia in permutatione duorum beneficiorum utrumque dimittitur, & utrumque confertur, ac proinde necesse est, ut utriusque Episcopi intercedat auctoritas, seu coram utroque fiat resignatio, & postea ab eodem collatio, seu unus alteri committat vices suas, *gloss in c. unico. verb. collationem. de rerum permutat. in 6. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 29. quest. 8. Sanchez consil. moral. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 38. num. 10. Mantica de tacit. & ambig. convent. lib. 25. tit. 8. num. 9. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubitat. 36. n. 197. Malderus in 2. 2. D. Thoma. trac. 9. cap. 3. dub. 10. versic. beneficia diversarum &c. Chokier de permutat. benef. part. 1. cap. 14 per tot. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 69. num. 10.*

Non tamè uno eodèq. tempore. §. 17. Non tamen est necesse, ut uno eodemq; tempore utriusque auctoritas concurrat, ut ait *Rebuff. in praxi tit. de permutat. num. 37. & 38. Lessius loco cit. est tamen tutius, teste Sylvestro verb. permutatio, §. 2. post n. 13. conclus. septima. & Chokier loco præcit. num. 1.*

Causa in quo commutans utrumque beneficium assequitur. §. 18. Hinc sequitur, si *Petrus & Paulus* permutent sua beneficia, & *Paulus* resignet prior, factaq; resignatione & collatione, moriatur, antequàm *Petrus* resignationem sui beneficii faciat, *Petrus* habiturum utrumque, si sint compatiblea, & posse gaudere bonâ fortunâ. *Rebuff. supra num. 38. Lessius ibidem num. 197. Malderus loco cit. in respons. ad quest. 8. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 29. quest. 29. Garcias de benef. part. 11. cap. 4. num. 10. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 19. §. 5. sub num. 169.*

A. Ordinarium pos. sine consensu. §. 19. An autem Ordinarii vigore Concordatorum Germaniæ in mensibus suis conferre queant beneficia ex tacita resignatione, seu de iure vacantia, meminimus nonnihil *suprà, hoc tit.*

hoc tit. dub. 1. §. 22. & pro uberiori eius cognitione Lector consulere poterit Chokier ad reg. 8. gloss. 7. à num. 13. per tot.

re beneficii
de iure va-
cantis.

D V B I V M X.

An beneficium resignatum non factâ mentione, quod resignans ad illius titulum Sacris Ordinibus fuerit initiatus, si contingat illum in mense Ordinario decedere, vacet per obitum; ita ut non obstante resignatione, valeat per Ordinarium in vim Concordatorum Germaniæ conferri?

§. 1. **R**espondeo primo, à Tridentina Synodo sess. 21. cap. 2. rectè sancitum esse, ne beneficium, ad cuius titulum quis ad sacros Ordines promotus fuit, ipse resignare valeat, nisi factâ mentione expressâ, quod fuerit ad illius titulum sacris Ordinibus insignitus; quo quidem casu, nec etiam tunc erit admittenda resignatio, nisi constiterit, quod aliunde vivere commodè possit ipse renuntians: ita ut utrumque iuxta Concilium Tridentinum *loc. cit.* debeat necessariò exprimi, & quod sit promotus ad Ordines ad titulum talis beneficii, & quod habeat aliunde, unde commodè vivere possit; quod etiam colligitur ex *c. Sanctorum, c. neminem. dist. 70. c. Episcopus. 4. c. tuis. 23. de preben.* Vnde in resignatione beneficii non sufficit postea constare resignantem tempore resignationis habere aliunde, unde vivere queat, sed tempore resignationis debet fieri mentio, quod ad illius titulum fuit ordinatus, & ante admissionem constare Superiori, quod aliunde habeat, unde vivere possit: alioquin aliter facta resignatio est irrita & nulla, ex clausula annullativa eiusdem Concilii *d. cap. 2.* Nam hæc:

In resi-
gnatione
beneficii
exprimi
debet an
fuerit ti-
tulus ordi-
nationis.

hac expressio requiritur de forma, nec per æquipollens adimpleri potest, prout declaravit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum adducta à DD. infrascriptis. *Flamin. Paris. de resignat. lib. 2. quæst. 6. num. 36. 37. 38. 39. & seq. ac lib. 5. quæst. 6. num. 175. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 20. quæst. 7. & cap. 25. quæst. 6. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. 6. 10. num. 35. Piajéc. in praxi Episcop. part. 1. cap. 1. art. 7. num. 12. vers. ampliari posset. Antica de tacit. & ambig. convent. lib. 25. sub num. 44. Garcias de benef. part. 2. cap. 5. §. 1. num. 192. 193. & seq. Massobr. in praxi haben concurs. in parochial. requisit. 5. dub. 1. num. 45. Chokier ad reg. 43. alias 44. num. 59. & seq. Barbosa de off. & potest. Episcopi. part. 2. alleg. 19. num. 33. Rota decis. 269. num. 1. part. 2. recent. & apud Seraphin. decis. 1471. num. 7 & 8. & apud Gregor. XV. decis. 441. num. 1. & addit. num. 9. Et ratio, cur exprimi debeat, quod quis fuit ordinatus ad titulum illius beneficii, est, quia Papa potest ex hac narratione moveri ad non admittendam resignationem *arg. d. c. Sanctorum.* & sic regulariter debent narrari illæ qualitates, ex quibus posset moveri ad concedendum, vel negandum *Flamin. Paris. d. lib. 2. quæst. 6. num. 38.* ex quo enim non possit quis ordinari absque titulo, ne cum Ordinis dedecore mendicare, aut turpem & sordidum aliquem quæstum exercere cogatur, ita nec potest illum titulum dimittere, nisi aliunde ipsi sit provisum. *Flamin. Paris. supra lib. 2. quæst. 6. num. 4. & 35. Garcias loco cit. num. 197.**

§. 2. Respondeo secundò, non factâ autem mentione, quod resignans fuerit ad resignati beneficii titulum sacris Ordinibus initiatus, indeq; resignatione nullâ existente, ex dictis §. *precedente.* & quidẽ nullâ, etiam in foro conscientiæ iuxta *Garcia supra nũ. 216.* beneficium resignatum non vacat, sed remanet penes resignantem, & resignanti competit actio spoli; cùm explorati iuris sit, quod dum resignationem non tenet, ius non abdicetur à resignante; ut proinde, si resignans moreretur in mense Ordinarii, non dubium sit, quin in vim Concordatorum Germaniæ de eo, uti per obitum vacante possit per Ordinarium provideri, sicut & è converso per Papam, si decederet in mense Pon-

Alioquin
beneficium
non vacat,
sed remanet
penes
resignan-
tem.

se Pontificio. *Garcias loc. cit. num. 225. & seq. Barbosa supra num. 33. de quo extat præclara Rotæ Romanæ decisio sub R. P. D. Remboldo. in una Leodiensis Canonatus Collegiatæ nostræ Ecclesia S. Ioannis Evangelistæ. die luna. 28. Iunii. 1621. relata à Barbosa loc. cit. & Chokier in trac. de permutat. benef. part. 3. cap. 28. sub num. 7. quam uberioris cognitionis ergò hic adscribere non abs re fuerit.*

DECISIO S. ROTÆ
ROMANÆ

In una Leodien. Canonatus S. Ioannis die 28.
Iunii 1621. coram R. P. D. Remboldo.

N. I



Omini dixerunt Canonatum esse adiudicandum *Benefici-
um reli-
gnatum
vacat per
obitum.*
Theodoro, quia ipse fuit de eo provisus per obitum
Balduini à Serenissimo Electore Coloniensi, vigo-
re Indulti amplissimi, quod habet à Sede Apolto-
lica.

II. Nec obstat *primò* quod dicitur d. Canonatum vacasse per resi-
gnationem dicti Balduini ad favorem *Agidii*, & non per ipsius obitum,
quia dicta resignatio fuit nulla, ideoq; nec ius, quod priùs habebat,
fuit ab eo mediante dictâ resignatione abdicatum, sed vacavit per mor-
tem *Caputagen. decis. 215. par. 1. num. 3. Card. Seraph. decis. 1498. num. 8.*

III. Quod autem resignatio fuerit nulla, patet, quia fuit facta con-
tra formam Concilii Tridentini *cap. 2. de reformat. sess. 21. ex quo non
fuit in ea expressum, quod Balduinus esset promotus ad titulum dicti
Canonatus, prout in d. cap. expressè disponitur; & quod hoc casu
resignatio sit nulla, tradit Paris. de resignat. lib. 2. q. 6. num. 36. & 39.
Garc. de benef. part. 2. cap. 5. num. 192. & seq. Gonzal. ad reg. 8. gloss. 5. §. 10.
num. 35 & tenuit Rota in Aretina Plebis coram Illustrissimo Cardinale Mil-
lino, relata per eundem Garciam cap. 5. part. 1. num. 438.*

IV. Nec obstat *secundò*, quod dictum Sacrum Concilium decrevit,

I

quod

cilium, ut dictum est, requirit pro forma, quod fiat expressio dictæ quali-
tatis, unde illa servari debet ex allegatis. Ultra quod Papa potuit etiam
cogitare, quod resignans non esset promotus ad titulum illius beneficii,
eo ipso quod sibi hoc non fuit expressum.

*pressio re-
quiritur
pro forma.*

VIII. Non obstat sextò, quod saltem Canonicatus remansit Sedi A-
postolicæ affectus per appositionem manus Pontificis; quia dicta affe-
ctio per appositionem manus non intrat, quando resignatio est nulla, &
per consequens beneficium vacat per obitum, & non per resignationem.
*Achil. decis. 14. de restit. Spoliat. Rot. decis. 24. sub num. 1. ut lit. pend. in nov. p. 2.,
& 419. par. 1. divers. & decis. 570. num. 8. vers. vel diversa eveniat. part. 1. in re-
cent.*

*Nec benefi-
cium affici-
tur per ap-
positionem
manus Pa-
pæ.*

IX. Non obstat septimò, quod etiam si resignatio sit nulla, tamen lo-
cus est affectio, quando talis nullitas provenit culpâ resignantis *Garzias*
d. tract. de benef. par. 5. cap. 1. §. 2. num. 170 quia hoc procedit, quando resig-
nans est in culpa, quominus resignatio sortiatur effectum, ob non im-
plementum conditionis: nam tunc dicta conditio habetur pro impleta
in præiudicium resignantis, & per consequens abdicatur ius à resignan-
te, & beneficium vacat in Curia, remanetq; affectum & reservatum, secus
est, quando resignatio fuit nulla de per se, & ex alia causa, quàm ob non
implementum: tunc enim per huiusmodi resignationem non abdicatur
ius à resignante, ut bene per eundem *Garz. part. II. cap. 3. n. 217.* ubi exem-
plum adducit in resignatione Simonica, per quam non abdicatur ius à
resignante, etiam quod sit pura, & per consequens nec beneficium vacat,
nec illud remanet affectum; quia Papa non voluit providere, nisi in even-
tum, in quem vacaret per resignationem, & affectio non porrigitur ad
vacationem diversam, ut in *d. decis. 570. num. 8. par. 1. in recent.*

*Dum re-
signatio est
nulla cul-
pâ resignan-
tis.*

X. Vnde cum in casu de quo agitur, resignatio non fuerit nulla ob
non adimplementum, sed quia non fuit in ea servata forma Concilii,
meritò non fuit ius abdicatum à resignante, & per consequens Canoni-
catus vacavit per obitum, & non per resignationem, neque ut dictum est,
remanit affectus ex allegatis.

*Ideoq; non
abdicatur
ius à resig-
nante.*

§. 3. Quæ decisio compluribus aliis confirmata fuit in u-
na Leodien. Canonicatus S. Dionysii anno 1623. quas brevi-
tatis causâ omitto.

*Confirma-
tio dictæ
decisionis.*

*Pii Papæ
5. Constit.
58. Bullæ
viii tom. 2.*

§. 4. Id autem indistinctè locum obtinet tam in resigna-
tione facta coram Papa, quàm Ordinario Episcopo Diocesa-
no, stando in terminis Concilii Tridentini *d. sess. 21. cap. 2. ex
Constitutio ne tamen Pii Papæ V. relata supra hoc tit. dub. 9. §. 6.*

*Benefici-
tamen re-
signatum
subiuncto
quod resig-*



Si non fuerit ad illius titulum promotus, si non habeat aliunde, unde vivat, vivat.

in resignatione beneficii, ad cuius titulum aliquis fuit Ordinatus, facta coram Episcopo loci Ordinario, cum resignans non haberet aliunde, quo posset commodè sustentari, dicendum est beneficium sic resignatum vacare, nec resignantem posse ad illud redire, sed de eo, uti verè vacante liberè providendum, non per Ordinarium iptum, sed per Papam, sive alios Superiores Ordinarii, aut patronos, si beneficium est juris patronatus; & eo casu Ordinarius Diocesanus admittens talem resignationem incurrit pœnam suspensionis à collatione beneficiorum, & tenetur ipsum resignantem alere, donec ei sit de alio titulo provisum, ut censuit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum apud *Flamin. Paris. de resignat. lib. 2. quest. 6. n. 41. & 42. Garciam de benef. part. 2. cap. 5. §. 1. num. 227. & 228. Chokier de permutat. benef. part. 3. cap. 28. num. 7. Rota apud Seraphin. decis. 1320. num. 4.*

Secus vero, si habeat, unde vivat.

§. 5. In resignatione verò facta coram Ordinario Episcopo Diocesano ab eo, qui aliunde commodè vivere potest, non tamen factâ mentione, quod ad illius beneficii titulum sit ad sacros Ordines promotus, videtur standum Concilio Tridentino, & per eam non vacare beneficium, quia supradicta Pii V. Pontificis Maximi Constitutio non loquitur in hoc casu, *Garcias loco cit. num. 229.*

Idem non procedit in resignatione faciendâ ex mandato Papæ.

§. 6. Hæc tamen Tridentina Sanctio non procedit in resignatione faciendâ ex Decreto Papæ apposito in gratia alterius beneficii incompatibilis; in ea enim non est opus facere mentionem, quod ad illius titulum quis fuit sacris Ordinibus insignitus. *Garcias ibidem num. 221.*

Secus autem in beneficiorum permutatione.

§. 7. In permutatione autem beneficiorum habet etiam locum dicta Tridentina Constitutio; resignationis enim nomen simpliciter prolatum complectitur illam quoque ex causa permutationis factam; quia qui permutat, resignat: ita ut ex hoc capite sit quoque nulla permutatio, non factâ mentione, quod permutans ad titulum beneficii permutati sit ordinatus, *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 5. §. 10. à num. 34. Barbosa de off. & potest. Episc. alleg. 19. num. 43. Chokier ad reg. 43. aliàs 44. cancell. num. 27. & in tract. de permut. benef. part. 3. cap. 28. num. 6. qui*
ita

ita à sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaratum referunt. Quamquam alii idiplum limitent, ut nimirum permutatio, sub tunc etiam, quod permutans ad illius titulum fuit Ordinatus, tum non censeatur nulla, si permutans consequatur validè possessionem pacificam alicujus beneficii æquivalentis, & ad congruam sustentationem sufficientis. *Garcias de benef. part. 2. cap. 5. §. 1. num. 218. Massobr. in praxi haben. concurs. requisit. 5. dub. 1. num. 45. Chokier ad d. reg. 43. aliàs 44. num. 62. Rota decis. 269. num. 1. 2. & 3. part. 2. recent. & ead. apud Gregor. XV. decis. 441.*

§. 8. Non ab simili modo beneficium resignatum tam ad manus Ordinarii Episcopi Vicecesani, quàm Summi Pontificis, etiam in favorem, si resignatio non est sortita effectum, ex quo nimirum resignans à die præstiti consensus non supervixerit dies xx. dùmmodò extra Curiam Rom. obierit, censebitur vacare per obitum, ac si nunquàm resignatum fuisset; proindeq; poterit Ordinarius collator de eo in mense suo vacante vigore Concordatorum Germaniæ liberè providere. *Simonetta de reservationibus. quest. 28. num. 6. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 1. num. 160. & seq. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 35. num. 194. Chokier tract. de permutat. benef. part. 1. cap. 5. num. 7. & ad reg. 18. aliàs 19. cancell. sub num. 15. 20. 21. 22. & 23. Massobr. in praxi haben. concurs. ad Parochial. prelud. 7. dub. 21. num. 76. & prelud. 25. dub. 13. num. 25. & requisit. 7. dub. 22. num. 22. Layman Theol. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 17. num. 9. Et idem est in permutatione, ut similiter si permutans moriatur infra viginti dies, beneficium permutatum censeatur vacare per obitum, *Rebuff. super reg. de infirm. Flamin Paris de resignat. lib. 12. quest. 5. num. 20. & seq. Barbos. de off. & potest. Episc. alleg. 19. num. 43. Chokier ad reg. 18. aliàs 19. cancell. num. 24. & in tract. de permut. benef. part. 1. cap. 5. num. 7.**

§. 9. Sed quid, si resignans supervivat quidem, & literæ de admissa resignatione fuerint expeditæ, resignatarius autem ante captam possessionem moriatur, an beneficium vacet per obitum? vacare centent *Flamin Paris de resignat. benef. lib. 10. quest. 6. num. 54. Chokier in comment. ad reg. 25. aliàs 26. cancell.*

T
Beneficiū
resignatum
ab eo, quō
moriatur
ante lapsū
20. dierū,
vacat per
obitum.

Benefici-
um resig-
natum,
moriatur
resignat-
arius post

litteras expeditas, vacat per obitum. num. 27. quia ex collatione dominium & omne jus consecutus fuit; ideoq; beneficium sic vacans, si fuerit in mense Ordinarii, ab eodem potest conferri. Secus autem, si moriatur resignans, antequam resignatarius expedierit litteras, consensu tamen per resignantem praestito; beneficium enim tunc vacabit per renunciationem, & non per obitum: ac proinde resignatarius poterit postea expedire litteras, & capere possessionem. *Flamin. Paris. d. quest. num. 59. Chokier loco cit.*

DVBIVM XI.

Intra quod tempus beneficia per Concordata Germaniae conferri debeant?

Papa vigore Concordatorum tenetur intra tres menses conferre; ita ut saltem in partibus constat de facta Provisione. §. I. **R**espondeo primò, Papa vigore Concordatorum Germaniae debet de beneficiis in sex mensibus sibi reservatis vacantibus, intra tres menses à die notae vacationis in loco beneficii, providere; alioquin Ordinarii de illis liberè poterunt disponere juxta num. 5. dictorum Concordatorum; qui terminus à Gregorio XIII. Pontifice Max. ex causis modificatus fuit, ut nimirum si intra tres menses non constiterit in loco beneficii de hujusmodi provisione Apostolica per fidem, testimonia, seu publicationem à previso faciendam, licet provisio ad locum beneficii nedum pervenerit, tum priùs dicti beneficii collatio spectet ad Ordinarium, uti ex infrascripta ejus Constitutione liquet,

GREGO-

bus, ad quos directa sunt, recipiantur, vel recepta expendantur: interdum quoque literis Apostolicis expeditis, & gratiâ purificatâ, seu mandatis prædictis receptis, & inquisitione completâ, antequàm omnimoda executio perficiatur, propter diversa impedimenta, quæ frequenter succedunt, tempus trium mensium, ex quo vacatio beneficii in loco ipsius nota est, expiret, ac proinde Ordinarii locorum, aut alii ad quos talium beneficiorum dispositio, cessantibus Apostolicis reservationibus, pertinet, lapso tempore prædicto, licet priusquàm illud laberetur, provisionis sive alterius dispositionis de illis à dicta Sede iam gratia facta fuerit (quod ipsum ad tribuendum & quærendum ius, satis superq; esse certa iuris interpretatione frequenter declaratum est) illa tamen conferre contendant. Quæ de causa multis Religione & pietate insignibus, quando ii post ostensum virtutis & doctrinæ suæ specimen, atque inde emensos labores, & sumptus, beneficiis potiri deberent, alii præoccupatores obtentu Ordinariæ collationis huiusmodi contra adversantur.

*Eamq; hic
Pontifex
declarat.*

II. Nos indignum rati, quod temporis mora, quam ad perscrutandum accuratiùs talium probitatem, industriam; & alia requisita intercedere pro utilitate Ecclesiæ necesse est, locum iniuriis aperiat, attendentesq; verba prædicta: *in loco beneficii*, cum verbis *notæ vacationis*, quæ protinùs antecedunt, coniungi, & ad illa dumtaxat referri, ac voluntatem concedentis, sensumq; concessionis. &

nis, & literarum prædictarum sic esse, ut dispositio beneficii intra tres menses à die notæ vacationis à Sede prædicta fieri, deq; gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum re inter utriusque juris interpretes jam pridem controversâ, summa ratione iudicatum apparet, vix enim est, ut itineribus non modò infestis, aut prohibitis, quod ferè semper aliquo contingit, sed etiam expeditis, quis ex tam longinquis regionibus ad dictam Sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium vel paulisper moratus, in eadem se recipere tantâ temporis angustia possit. Quocircâ æquitate & iustitiâ suadentibus, præsentium auctoritate declaramus concessionem NICOLAI Papæ, & literas prædictas locum omninò non habere, quod Ordinarii, aut alii collatores prædicti, post lapsum trium mensium ex die notæ vacationis in loco beneficii, disponere possint de ullis beneficiis prædictis, aliàs sub concessione & literis prædictis comprehensis, extra Romanam Curiam in mensibus prædictis quoquo modo vacantibus vel vacaturis, de quibus intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem, ac dictam Sedem qualiscumque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuerit. Ne tamen cuiquam licitum sit factam à Sede prædicta dispositionem huiusmodi in longum obtegere, illi quibus deinceps gratiæ huiusmodi concedentur, etiam concessionum fidem & testimonium intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii huiusmodi, vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficii loco publicare quoquo modo teneantur.

III. Decernentes omnes, & quascumq; dispositiones

V

de

*Decretum
errans.*

de dictis beneficiis ab eisdem collatoribus post significationem, seu publicationem hujusmodi pro tempore factas, nullas & invalidas, nulliusq; roboris vel momenti fore. Sicq; in quibusvis causis pendentibus & futuris judicari debere; nec non irritum & inane, quidquid secus super his ab eisdem collatoribus, aut quibuscumque aliis scienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Collatorum
inobedi-
entium pæ-
næ.*

IV. Quod si fortè quisquam collatorum prædictorum fuerit præsentium violator, cum à beneficiorum & officiorum collatione tam diu suspendimus, donec ipse veniam petens restitutionis gratiam à Sede prædicta meruerit obtinere,

*Fides trā-
sumptio-
rum.*

V. Cæterùm volumus, ut præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ ob signatis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

*Sanctio
pœnalis.*

VI. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, decreti, suspensionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto. Kalend. Novembris, Pontificatus Nostri anno quinto,

§. 2. In quo apparet S. Sedis Apostolicæ cum Ordinariis Germaniæ benignitas, quòd etiam sibi soli legem statuendo contra jus commune *c. licet. 3. de supplen. neglig. Pralat. c. postu lasti. 15. de concess. præben. gloss. in c. statutum. 3. in verb. numerandum. sub fin. de præben. in 6. VV amesius in consil. canonic. tom. 1. consil. 218. num. 3. & consil. 247. num. 23. patiatur devolutionem fieri à supremo ad inferiorem, Branden ad Concordat. quest. 6. num. 17. Chokier ad reg. 8. cancell. gloss. 11. num. 4. 5. & 28. Layman Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 10. num. 3.*

*In quo pa-
ret Sedis
Apostolicæ
benignitas,
quod per-
mittat à
se ad infe-
riores de-
volutionem
fieri.*

§. 3. Notant tamen prædicti Doctores, quod si ejusmodi negligentia intervenerit, non per hoc concurrentiam exclu- di, quòd minùs lapsis dictis tribus mensibus, Summus Pontifex conferat beneficium sic vacans, cujus collationis dies si prior sit collatione Ordinarii, dubium non est, quin à Pontifice provisus provisum ab Ordinario excludat, *c. dudum. 14. de præben. in 6.* Cùm inter Papam, & Ordinarios collatores sit locus præventionis; nam licet Concordata tollant gratias præventivas, & expectativas quoad beneficia vacatura, minimè tamen excludunt gratias præventivas, seu collationes de vacantibus. Neque enim cùm Pontifex alicui, seu aliquibus concedit facultatem conferendi beneficia, sibi illam omninò adimit, saltem quòd minùs illum, seu illos prævenire possit in vacante beneficio *d. c. dudum. 14. §. nos igitur de præben. in 6.* Imò prohibitis expectativis & præventivis gratiis quoad vacatura, non censetur quoque prohibita præventio per Ordinariam viam; quia omnium beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio est in manu Papæ. *Clem. 1. ut lite pend. Rebuff. in praxi tit. de devolut. num. 46. 47. 48. & 49. & ad Concord. Gallia. de mand. Apost. §. declarantes. vers. iure præventionis. Branden ad Concord. Germ. quest. 6. num. 18 & quest. 12 n. 19. & not ab. 1. num. 3. VV ames. in consil. canonic. tom. 1. consil. 237. num. 6. & consil. 239. num. 2. Gonzalez ad reg. 8. §. 3. proæm. à n. 1. & gloss. 25. num. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. Lessius de iust. & iure. lib. 2. cap. 34. dubit. 10. num. 45. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. num. 9. & seq. & cap. 5. num. 44. Chokier loco præcit. num. 5. 15. 16. & 17. Layman supra cit. loco num. 2. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 10. & seq. Zypæus in consultat. canonic. lib. 3.*

*Eo tamen
casu cum
inferiori-
bus con-ur-
vere potest.*

de pr. ben. consultat. 5. vers. Et verè. Rota apud Gregor XV. decis. 500. num. 7. & decis. 291. in addit. num. 11. Et ita sæpissimè Concordata Germaniæ interpretata est Rota Romana, tum in una Meten. Canoniciatus. 8. Novembris 1577. coram R. P. D. de Rubens, tum in altera Paderbornen. Canoniciatus. 29. Martii 1610. coram Reverendissimo D. Coccino, nec non coram eodem. in Eluen. beneficii. quæ postrema decisio refertur à Marchesano de Commission. part. 2. in fine inter adiectas ibidem decisiones Rotales in imprimendo omissas fol. mihi 607. quod videlicet Concordata non obstant, quò minus Papa in mensibus Ordinariis possit providere, & sit locus præventioni; quia hujusmodi Concordata tollunt tantùm obstacula ratione gratiarum præventivarum, & reservationum quoad vacatura, ut patet ex verbis & tenore ipsorum Concordatorum supra in princip. sub num. 5. ibi, per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam &c. & sequitur, quò minus de illis, cum vacabunt &c. & relinquunt Ordinarios collatores in eorum jure Ordinatio; non tamen idèd ut inquit Rota in pract. decisionibus, Papa censetur sibi ligasse manus, ut in dictis sex mensibus Ordinariis non possit conferre, cum ipse sit universalis Ordinarius omnium, c. per principalem & c. cuncta per mundum. 9. q. 3. Nec obstat, si dicas, quod Concordata videantur etiam excludere alias gratias, præter præventivas, per illa verba sub eod. n. 5. aut quamvis aliam dispositionem &c. quia secundùm interpretationem Rota in dd. decisionibus debent intelligi de dispositionibus similibus, & sic de gratiis præventivis, cum dicatur de gratia expectativa, & inferiùs subdat, cum vacabunt. Pariter non obstat, quod in Concordatis adsit decretum irritans, quia illud sortitur naturam principalis dispositionis quoad gratias præventivas tantùm, & non ampliatur dispositiones; sed nec Papam ligat, cum non dicatur, etiam per Nos &c. ita Rota in prædictis decisionibus. qualis clausula irritans habetur in Concordatis Regnorum Poloniæ & Galliæ infra tit. 4. & 5. relatis. Quamquam Pontifex, vix aut rarissimè, & non sine gravissima causa utatur via præventionis, aut concursus in mensibus Ordinariis, ut evitentur confusiones & lites. Branden. ad Concord. quest.

quæst. 12. num. 20. *Lesius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 10. num. 48. Layman Theol. moral. lib. 4. trac. 2. cap. 10. num. 3.*

§. 4. De beneficiis autem apud Sedem Apostolicam vacantibus (in cæteris enim nullum præfinitum est tempus) *Rebuff. eod. tit. de devolut. n. 5. Malderus in 2. 2. D. Thome. trac. 9. cap. 2. dub. 5. vers. notandum secundo. Garcias de benef. part. 10. cap. 2. num. 12. Pontifex intra mensem à die vacationis providere debet, alioquin dicto tempore lapsò, valebunt collationes ab Ordinariis factæ potestate ordinaria, perinde, ac si nulla unquam reservatio existisset. c. statutum. 3. de præben. in 6. Zerola in praxi Episc. part. 1. verb. beneficia. ad tertium. & part. 2. verb. reservatio vers. decimo. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. num. 96. Chokier ad reg. 1. cancell. num. 33. vers. prima igitur. Barbosa de iure Eccles. univ. lib. 3. cap. 13. num. 32 & 34.*

De beneficiis vero apud Sedem Apostolicam vacantibus Papa intra mensem providere debet.

§. 5. Non operatur tamen hæc restrictio ad mensem, ut post mensem omninò excludatur Papa à conferendo, vel cum Ordinariis concurrente, aut eos præveniando, ut *suprà hoc dub. §. 3. ostendi*, sed ad hoc tantùm, ut post dictum mensem manus Ordinarii non censeantur ulterius ligatæ *gloss. in d. c. statutum. Rebuff. loc. cit. num. 46. 47. 48. & 49. VVarnesius in consil. canonic. tom. 1. consil. 237. sub num. 6. & consil. 239. num. 3. Chokier suprà. Barbosa loco præcitato num. 35.*

Licet post mensem cum Ordinariis collatoribus concurrere queat.

§. 6. Respondeo secundo, in iisdem Concordatis nullum certum Ordinariis constitui tempus, intrà quod illi conferre debeant; ideoq; relinqui iuris communis dispositioni, quæ Ordinariis semestri præfigit à tempore scientiæ vacationis numerandum, ad beneficia in mensibus suis vacantia conferenda, alioquin eo elapso, illa velut caduca ad Superiores gradatim usque ad Papam devolvantur. *c. nulla. 2. e quia diversitatem. 5. de concess. præben. c. licet. 3. de supplen. neglig. Prælat. & Clem. uni. ca. eod. tit. Rebuff. suprà num. 4. & 10. Francif. leo in thesaur. fori Eccles. part. 2. cap. 3. num. 30. Lesius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 10. num. 46. Malderus in 2. 2. D. Thome. trac. 9. cap. 2. dub. 5. Garcias de benef. part. 10. cap. 2. num. 1. & seq. & cap. 3. num. 1. ac seq. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 58. num. 1. & 5. Rotam recent. part. 2. decis. 186. num. 1.*

Ordinariis intra sex menses conferre tenentur, alioquin ad Superiores est devolutio.

Quorum
quolibet
etiam sex
menses
habet ad
conferen-
dum.

§. 7. Quo casu quilibet eorum habet similiter sex menses ad conferendum, *Garcias dicta part. 10. cap. 3. num. 1. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 58. num. 1. & 10.* Ita ut si v.g. collatio ad collatorem inferiorem spectaverit, eo negligente, devolvetur ad Episcopum tanquam ad proximum Superiorem, *præcit. c. 2. de concess. præben. Rebuff. supra de devolut. n. 25. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 27. quæst. 4. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 13. num. 109.* nequaquam tamen ad Capitulum Sede vacante, *Abb. inc. cum olim. sub num. 2. de maior. & obed. Rebuff. lococit. num. 101. Barbosa præcit. cap. 13. num. 109.* Quod procedit etiam in collatoribus regularibus, horum enim potestas ex negligentia in conferendis beneficiis ad Episcopum devolvetur, ut ipse possit conferre tanquam Ordinarius, si exempti non fuerint, alioquin tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, si exempti sint, & Romano Pontifici immediatè subiecti, *tex. in Clem. unica. de supplen. neglig. Pralat. Rebuff. loc. cit. num. 37. Zerola in praxi Episc. part. 1. verb. beneficia. vers. ad tertium. Erasmi. Chokier. de iurisdic. Ordin. in exemp. part. 4. quæst. 30. num. 8. Barbosa loco præcit.* Id tamen intellige de Episcopo loci, in quo sita fuerint beneficia, etiam si collatores in alia Diocesi morentur *gloss. in verb. locorum, in dicta Clem. unic. de supplen. neglig. Pralat. Rebuff. supra num. 39. Garcias de benef. part. 5. cap. 3. num. 28. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. d. cap. 13. num. 109.* à Capitulo autem Cathedralis Ecclesiæ negligente in conferendis beneficiis, quæ ad suam collationem separatim ab Episcopo pertinent, ad Episcopum tanquam immediatum Superiorem fit devolutio, iuxta *tex. in c. 2. de concess. præben. gloss. inc. irrefragabili. 13. verb. per Capitulum. de off. Ordin. Rebuff. dicto loco num. 21. Azor. loc. cit. cap. 27. quæst. 2. Barbosa supra num. 110.* Si verò collatio ad Capitulum & Episcopum communiter spectaverit, tunc devolutio ex causa negligentiae non fiet ad Episcopum, sed potius Archiepiscopum, uti ad proximum Superiorem, sicuti & à Capitulo Metropolitano ad Patriarcham, seu Primatem, si sit, alioquin ad Nuntium Apostolicum, & demum ad Papam *c. postulasti. 15. de concess. præben. c. licet. 3. de supplen. neglig. Pralat. Rebuffus supra num. 23.*

num. 23. Malderus loc. præcit. Rota decis. 1. aliàs 313. de supplen neglig. Prælat. in nov. & part. 2. recent. decis. 186. num. 1

§. 8. Episcopo porrò negligente intra debitum tempus conferre beneficia ad suam collationem separatim à Capitulo spectantia, devolutio fit ad ipsum Capitulum tanquàm à Superiore ad inferiorem, diverso ab aliis exemplo. c. 2. de concess. præben. ob communionem, quæ est inter Episcopum & suum Capitulum, VVames. in consil. canonic. tom. 1. consil. 246. sub num. 16. Quod quidem locum tantùm habet in beneficiis spectantibus ad collationem Episcopi proprio iure, non verò ubi ad eundem pertinuerint iure speciali, vel devoluto, tunc enim hæc collatio, negligente Episcopo, non devolvitur ad Capitulum, sed Superiorem, uti ad Papam, si collatio competebat vigore indulti Apostolici. Rebuff. supra num. 22. & 23. Garcias de benef. part. 10. cap. 2. num. 33. & 34. Barbosa supra num. 111. Vbi verò Episcopus fuerit exemptus, & Romano Pontifici immediatè subiectus, tunc illo negligente, potestas ad eundem Pontificem, vel Legatum de latere, non autem ad Capitulum devolvitur c. sicut. & c. licet. 3. de supplen. neglig. Prælat. c. cum singula. 32. §. fin. de præben. in 6. Abb. inc. 2. de success. præben. num. 7. & 8. Rebuff. loc. cit. num. 36. & in Concordat. Gallie tit. de collat. §. si quis verò. in gloss. verb. ad alium Superiorem. versic. in exemptis. Garcias de benef. part. 10. cap. 3. num. 3. Barbosa cit. cap. 13. num. 112. idq; in omnibus exemptis passim locum habet, exceptis regularibus; cum Papa sit eorum Superior proximus, c. auctoritate. 4. de privileg. in 6. VVames. in consil. canonic. tom. 1. consil. 29. num. 6. & consil. 30. num. 3. ac consil. 246. num. 12. Erasim. Chokier de iurisdic. Ordin. in exempt. part. 4. quest. 30. num. 5. 8. & 12. Barbosa de off. ac poteit. Episc. part. 3. alleg. 58. num. 13.

Ab Episcopo devolutio fit ad Capitulum.

§. 9. Idem autem tempus præfixum quoque est electionibus & præsentationibus, nisi sit patronus laicus, cui quatuor tantùm menses concessi sunt c. unico de iur. patron. in 6. & c. quoniam. 3. ac c. cum propter. 27. X. eod. tit. Rebuff. dicto tit. de devolut. n. 3. Lessius de iust. & iure. lib. 2. cap. 34. dubitat. 6. n. 26. Garcias de benef. part. 10. cap. 2. num. 6. sex autem ex consortio patroni

Idemq; terminus electionibus & præsentationibus est præfixus

Eccle-

155, excepto
 patrono la-
 ico, cui
 quatuor
 tantum
 concessi
 sunt men-
 ses.

Ecclesiastici. *Lessius loc. cit. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 12. num. 168.* etiam si laicus habeat maiorem partem; jus patronatus enim mixtum assumit naturam Ecclesiastici patroni *Flamin. Paris. de resig. lib. 2. quest. 4. num. 50. Barbosa loco cit. num. 169.* aut nisi de Episcopi, vel Abbatis, & ad similes majores dignitates electione agatur, cui perficiendæ præstitutum est trimestre, propterea quod in longa vacatione majorum officiorum majus periculum soleat versari, *c. dilectus. 12. de concess. præben. c. ne pro defectu. 41. de elect. & ibi gloss. Rebuff. loco præcit. num. 4. Malderus supra vers. notandū etiam c. Camis. in summa lib. 2. tit. 28 §. 5. Gudelin. de iure noviss. lib. 6. cap. 8. num. 29. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 1. cap. 19. num. 85. & 145.* Vnde dum eligentes negligunt tempus præscriptum, electio devolvitur ad proximum Superiorem. *Barbosa ibidem.* Patrono autem seu Ecclesiastico, seu laico intra tempus præfixum præsentare negligente, tunc jus conferendi ad instituentem devolvetur. *Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 10. num. 46. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 12. num. 165. & cap. 13. num. 108.*

Electio ad
 Præposi-
 turas Leo-
 dienses de-
 bet fieri
 intra 30.
 dies.

§. 10. Veruntamen Leodiensibus ex Indulto *Sixti Papæ V.* vim Concordatorum habete, in electionibus ad Præposituras tam Majoris, quàm cæterarum Ecclesiarum Collegiatarum Civitatis & ditionis Leodiensis, præfiguntur triginta dies à die vacationis computandi, intra quos eadem perficiantur, & earundem confirmatio intra semestre à die electionis numerandum à Summo Pontifice petatur; alioquin electiones sunt nullæ, & dictarum Præpositurarum dispositio ad Sedem Apostolicam devolvitur, uti videre licet apud *Chokier in comment. ad reg. 2. cancell. sub num. 16. & à nobis relatum est supra tit. 1. dub. 1. §. 12.*

Beneficia
 in omnibus
 Ordinibus
 Dic. ejani
 resignata,
 vel permutata
 intra
 sex menses
 conferri
 debere cer-
 tus est

§. 11. Respondeo tertio, quamvis iuxta complurium Docto-
 rum sententiam beneficia in manibus Ordinarii Episcopi Di-
 œcesani, resignata vel permutata ex Constitutione *Gregorii XIII.*
 Pontificis Maximi intra mensem à die admissionis conferri
 debeant; alioquin eo elapso ad Papam devolvantur, *Flamin. Bullarii*
Paris. de resignat. lib. 11. quest. 2. num. 6. & 7. & quest. 5. num. 4.
 10. 13. *Garcias de benef. part. 11. cap. 3. num. 285. & 337.* nec ta-
 men ius

Gregorii
 13. Papa
 Constit. 85.
 Bullarii
 tom. 29

in iudicio non videtur hæc ipsorum interpretatio conformis textui dictæ *Gregorianæ*, quia per verba eiusdem Constitutionis: *Ipsi* (videlicet Ordinarii) *intra mensem negotium universum admissionis, vel reiectionis resignationis huiusmodi, & si per eos facienda erit, provisionis resignati beneficii iuxta Apostolicas & alias canonicas sanctiones, omninò absolvant &c.* id ipsum non præscribitur; nam particula & ibidem interposita sensum disiungit, ac proinde orationem separatã tacit, quasi dicat, quod negotium provisionis resignati beneficii iuxta Apostolicas & alias Canonicas sanctiones omninò absolvant, & sic collationis tempus regulari debet iuxta dispositionem iuris communis in, *c. nulla. 2. de concess. præben.* videlicet, ut intra sex menses peragatur. Sola enim admissio & reiectio resignationis, in quibus cadere posset fraus, censentur restrictæ & limitatæ ad mensem: de provisione enim id nequaquam dici potest; quod vel ex eo patet, nam cum certum sit, attentâ dispositione Concilii Tridentini *sess. 24. de reform. cap. 18.* concursum in parochialibus, etiam per resignationem vacantibus esse faciendum, & per Constitutionem Pii Papæ V. ea de re editam, ad conferendam semestre sit concessum, nec fuerit huic Constitutioni per supradictam *Gregorii XIII.* derogatum, videretur contrarietatem implicare, si intra mensem facienda esset collatio huiusmodi parochialis, præcedente con-

Pii Papæ
5. Constit.
33. Bulla-
rii tom. 2.
relata su-
per hoc
tit. 1. dub.
6 p. 5. 6.

curso, uti post *Massobr. in praxi habendi concursum ad paroch. requisit. 7. dub. 1. n. 2. 3. & seq.* bene advertit *Barbosa de iure Eccles. univ. lib. 3. cap. 15. §. 2. sub num. 113.*

X

DVBI-

DVBIVM XII.

Quando incipiant, & terminentur menses Ordinariis per Concordata Germaniæ concessi?

Mensis & dies incipit variè apud varios inchoantur.

§. I. **C**onstitutione Eugenii Papæ IV. datâ ad favorem Leodiensium anno 1441. quæ & vim concordatorum habet, ut latius ostendemus *infra tit. I. dub. 1. §. 13. & 14.* decernitur, menses tam Apostolicos, quàm Ordinarios incipere ab ortu solis; quod tamen non in eo rigore intelligendum putem, ut nimirum mensis, seu dies prima mensis incipiat præcisè ab ortu solis, sed potiùs à media nocte, quæ terminus est diei præcedentis, & initium subsequenti; dicitur verò ab ortu solis, ex eo quod paulatim appropinquet soli orienti, sicuti vocare solemus meridiem, eam partem diei, quæ paulatim vergit ad meridiem. Nam cum dies alius sit *Naturalis*, alius *Civilis*, qui & *Legalis* nuncupatur, ac viginti quatuor horarum spatio completur; in confesso autem est, quod dies *naturales* omnibus hominibus incipiant ab ortu solis, & cum eius occasu desinant, *civiles* autem, quales sunt illi, qui in contractibus, pactis seu negotiis civilibus usurpantur, *gloss. inc. 2. de feriis.* non item. Siquidem Hebræi insistentes primæ rerum creationi, qua tenebræ præcesserunt lucem, inchoabant diem civilem cum occasu solis, ad solem iterum occidentem. Et hos secuti sunt ex Græcis Athenienses, & plures alii. Contrà Babylonii inchoabant illum ab ortu solis, ad exortum eius, totum id spatium unius diei nomine appellantes. Veteres Umbri à meridie, usque ad insequentem meridiem, id interstitium pro uno die computantes. Verùm veteres Romani eum à media nocte, usque ad alteram mediam noctem supputandum voluerunt, & eos iam passim omnes aliæ per orbem terrarum gentes in hoc sequuntur, uti notavit *Tirinus cap. 1. Chronici præfixi tom. 1. comment. in sacram scripturam. post Aulum Gellium noct.*

noct. Attic. lib. 3. cap. 2. Layman Theolog. moral. lib. 4. trac. 1. cap. 3. n. 1. post Sanchez consil. moral. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 37. n. 1. Obiter tamen notandum, quod dies, quem Tirinus hinc naturalem vocat, apud alios nuncupetur artificialis, & quem civilem indigitat, naturalis dicatur, Layman loc. cit. & alii passim. Verum nos retineamus in hac materia communem utriusque Iurisconsultorum loquendi modum.

§. 2. Itaque cum communi Doctorum sententia Respondendum censeo, quod nimirum quilibet mensium Apostolicorum terminetur in media nocte ultimi diei, & ex illa dimidia nocte incipiat mensis Ordinarius, & duret pariter usque ad mediam noctem ultimi diei illius mensis, c. consultat. 24. de offic. deleg. l. more Romano. 8. ff. de feriis. Rebuff. in Concord. Gallia. tit. de collationibus. §. prafatiq. Ordinarii. vers. sequentibus mensibus. Gomezius ad reg. de infirmis. quest. 38. per tot. Sanchez loco prae cit. Gonzalez ad reg. 8. gloss. §. num. 10. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 523. Chokier in comment. ad reg. 8. num. 10. Barbosa de off. & potest. Episcopi. part. 3. alleg. 57. num. 183. Zypaeus in consult. canon. lib. 3. tit. de praben. consultat. 5. Consultissimus D. de Meam ad ius Civile Leodien. part. 2. observ. 192. num. 2. Gavantus in manuali Episcop. verb. beneficiorum reservatio. num. 34. Ac proinde Gonzalez loc. cit. num. 11. consulit Episcopis, ut quando conferunt aliquod beneficium vacans ad finem sui mensis, vel in principio illius, in illa ultima nocte, quæ dat finem mensi Ordinario, & principium mensi Apostolico, vel è converso, ante collationem curent examinari testes de hora & puncto obitus ultimi possessoris, & id ipsum in collationis instrumento annotari, ut sic evitetur controversia, quantum possibile sit, super tempore vacationis, an contigerit in mense Ordinario, vel potius Apostolico.

§. 3. Media autem nox erit, ubi cœpit audiri hora duodecima noctis, etiam antequam desinat sonare horologium, seu ante finitos pulsos illius horæ; nam cum primus pulsus horæ sonat, iam est hora expleta, & horologium tantum est testis id indicans, & si diversi pulsus sint, id evenit, quia nequit uno pulsu hora duodecima indicari, sicut indicatur hora prima uno pul-

Mensis
Apostoli-
cus terminatur in
media nocte
ultimi diei, & ab
illa incipit
mensis Or-
dinarius.

Media
nox incipit
ab hora
duodecima.

su, Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 41. sub num. 40. Garcias supra num. 524. Barbosa loc. cit. num. 184. & sic qui expiravit post primum pulsum horæ duodecimæ mediæ noctis diei ultimi v. g. Decembris, antequàm finiretur pulsus illius horæ, dicitur obiisse in mense Ianuarii, & non Decembris. Stantibus verò pluribus horologiis videtur hæc media nox regulanda horologio parochiæ, seu viciniæ, in qua defunctus obiit, seu illo, per quod communiter reguntur incolæ, cessante tamen fraude, & notabili malâ ordinatione horologii, Garcias ibidem, num. 525.

Et ubi,
plura sunt
horologia
inter se
discordan-
tia, spe-
standa est
causa qua-
liora.

§. 4. Sed quid si in parochia, seu viciniâ illa horologia discordent? amplectenda est doctrina Bobadil. in sua politica lib. 5. cap. 2. num. 25. de horolog. dicentis maximum discrimen faciendum esse, an res de qua agitur, favore digna sit, an odio: nam in his, quæ favoris sunt, standum erit, inquit, horologio, quod propitium fuerit causæ favore dignæ, uti est collatio Ordinarii, Zypæus loco præcit. in odiosa verò contrarium sequendum; quod Parlador. lib. 3. quæst. 9. num. 10. verissimum arbitratur, dum duo tantum extant horologia, at si multa, idem quod de testibus pronuntiandum esse putat, ut sequamur fidem illorum, quæ numero vincunt, & certiora esse solent, quàm alia, Garcias supra num. 525.

Quo ubi
nullum est
horologiū,
alia cir-
cumstan-
tia atten-
denda.

§. 5. Vbi porrò nullum est horologium, vel si sit, quando probatur non esse bene ordinatum, seu quod audiri non potuit, aut de factò non fuit auditum, accipienda erit media nox iuxta cursum noctis, arbitriumq; ac iudicium hominum, præsertim experientiam & cognitionem habentium. Et etiam à communiter accidentibus, & verosimilibus, ut ex galli cantu &c. Gavantus in manuali Episc. verb. beneficiorum reservatio. num. 35. & ita à Rota aliàs decisum refert Gonzalez loco supra cit. num. 16. quod quia probatum fuerat tempore obitus gallos cantasse, vacationem evenisse post mediam noctem; licet idem Gonzalez num. 24. & 25. fateatur ad probandum noctem iam versus diem inclinatum, diemq; sequentem cœptum, esse levis ponderis præsumptionem, quæ in solo gallicinio fundatur, cum diu noctuq; cantare non prætermittant, quamvis versus aurorâ frequentius cantare soleant; & quantum deferatur huic gallicinio, at-

nio, arbitrio judicantis, pensatis circumstantiis, & testium rationibus, aliisq; verisimilitudinibus relinquendum putat ex *l. 3. vers. Tu magis scire potes. ff. de testibus. & c. in presentia. 6. de renunciat.* Dicit tamen *Garcias loco precit. num. 526. in fin.* præsumptionem ex galli cantu maximè accipiendam esse ad sustinendam provisionem Ordinarii, ex quo pro Ordinario faciat jus commune.

§. 6. Maior difficultas est in vacante beneficio circa mediam noctem ultimi diei mensis, ita ut minimè constare possit, an fuerit finitus unus mensis, & cœptus alius, & sic an vacaverit in mense Apostolico, vel Ordinario; aut quando vacat beneficium per obitum alicujus, cujus mortis dies, aut mensis ignoratur, an nimirum fuerit in Ordinario, vel Apostolico, quia v. g. invenitur mortuus in fluvio, puteo, aut in silvis, & nescitur quo die, & mense obierit, nemo enim vidit eum mori. Vel si quis die prima Ianuarii repertus est mortuus in lecto, & nescitur num obierit post mediam noctem, vel ante. An tunc beneficium censeatur vacare in mense Ordinario, aut Apostolico. Et an Ordinarius possit illud conferre, præsertim dum factâ omni diligentia & indagatione, sciri non potest, in quo mense beneficium vacaverit, nam Episcopus, seu quivis alius collator inferior, antequàm provideat de beneficio vacante, inquirere debet in quo mense vacaverit, ut sciat an ad se, an ad Papam provisio pertineat.

§. 7. Occurrentibus autem casibus prædictis, quibus post diligentiolem inquisitionem, non potest sciri, in quo mense beneficium vacaverit, respondet *Garcias loc. cit. num. 528.* Episcopum illud posse conferre, nam in dubio præsumendum est pro Episcopo, ex quo ad eum spectet provisio omnium beneficiorum suæ Diœcesis de jure communi, cessantibus reservationibus, uti dixi *suprà hoc tit. dub. 8. §. 6. & dub. 9. §. 1.* quo jure privari non debet, dum non constat de reservatione; adeoq; interpretatio favorabilis hic locum habet, per quam fit reditus ad jus commune *l. si unus. 27. §. pactus, ne peteret. ff. de pactis & ibi Iason num. 6.* & quæ facit pro non reservatione; nam in dubio favendum est Ordinariæ collationi

Vel abs
minimè
sciri pote
in quo m.
quis obis

Præsump
tio est pro
Ordinario.

& jurisdictioni, quæ est favorabilis, *gloss. in c. i. verb. processus. in fin. de rescript. in 6. & in Clem. 2. verb. nolumus. de off. Ordin. & reservationes, utpote inhibitivæ Ordinariæ potestatis, & impeditivæ libertatis, contra antiqua jura inductæ, sunt ut odia restringendæ. gloss. in c. presenti. 3. verb. finitur. de off. legati. in 6. de quo latè Garcias de benef. part. 5. cap. 1. num. 67. Zypæus in consultat. canon. lib. 3. tit. de præben. consult. 5. nec fit magnum præjudicium Papæ, qui concurret cum omnibus Ordinariis, sed præjudicaretur Ordinario, privando eum sua provisione, Gonzalez ad reg. 8. §. 4. proæm. num. 21, idq; intellige de quolibet Ordinario, Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 528. Quod etiam procedit, quamvis provisus à Papa esset in possessione: imò & si Pontificia provisio foret anterior provisione Ordinarii, si nimirum fundetur in reservatione & vacatione in mense Apostolico, & non jure præventionis, fusè Garcias loco præcit. num. 529. 530. 531. 532. & seq. Barbosa de off. & potest. Episc. par. 3. alleg. 57. num. 188.*

Beneficium vacans in mense Ordinario conferri potest in mense Apostolico.

§. 8. Ad hæc quæri posset, si beneficium vacet in mense Ordinario, & Ordinarius illud non conferat in ipso mense, sed cæpto jam mense Apostolico: an ex eo, quod vacatio duravit, & introivit mensem reservatum, sit dictum beneficium etiam reservatum? *respondendum est*, non esse reservatum, quia Regula IX. Cancellariæ Apostolicæ, & Concordata Germaniæ duntaxat reservant beneficia vacatura in designatis mensibus Apostolicis, dictum autem beneficium non vacavit in mense Apostolico, sed Ordinario, quamvis ejus vacatio dureret usque ad mensem Apostolicum: tum quia aliud est beneficium esse vacans, & aliud esse vacaturum: tum etiã quia sicut quando beneficium vacat in mense Apostolico, semper remanet reservatũ, etiam si cesset causa reservationis, *Rota decis. 10. aliàs 181. & decis. 12. aliàs 207. de præb. in novis. Gomez. ad reg. de infirm. quest. 32.* Sic etiam pari ratione, cùm beneficium vacaverit in mense Ordinario, & fuerit subjectum Ordinarii dispositioni, nunquam ampliùs incidit in reservationem, cùm correlativorum eadem sit ratio, *l. fin. ff. de acceptil. l. fin. C. de indict. viduit. toll.* nisi fortè per devolutionem, uti *dub. præcedenti.*

Insuper

Insuper Regulæ reservatoriæ loquuntur tantum de tempore & initio vacationis, non autem de continuatione ipsius vacationis; cum Ordinarius habeat sex menses ad conferendum, sicuti *dub. preceden.* est ostensum. *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 11. num. 53 & seq. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 536. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 189.*

§. 9. Denique pro hujus dubii conclusione notandum, quod ubi horologia non incipiunt à media nocte, & meridie, de 12. in 12. horas numerando, sed ab occasu Solis, usque ad viginti quatuor horas, numerando per quatuor senarios, seu duas duodenas, ut in Italia, media nox accipienda erit juxta quantitatem seu magnitudinem, & parvitatem dierum & noctium, & tempore æquinoctii media nox erit hora sexta, *Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. sub num. 525.*

Vbi porro horologia non incipiunt à media nocte & meridie, aliter est statuum.

TITULUS II.

De Annatis.

DUBIUM VNICVM.

An, & quæ Annatæ debeantur Sedi Apostolicæ per Concordata Germaniæ.

§. 1. **A**nnatarum usus per antiquus est, & jam inde à temporibus Concilii Generalis Viennensis receptus juxta *Flamin. Paris. de confident. quest. 9. num. 61. Cherubin. in compend. Bullarii tom. 1. ad Constit. 17. Pauli IV. & ibidem Scholio 2. Zoesium lib. 5. Decretal. tit. 3. num. 128.* seu ut aliis placet, secundum morem, quo hodiè solvuntur, introductus à *Joanne XXII. seu Bonifacio Papa IX.* uti notavit *Platina in eius vita. Gigas de pensionibus quest. 26. num. 1. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 12. Zypaus in analyt. iuris Pontif. novi, lib. 3. tit. ut Ecclesiastica benefi-*

Annatarum usus antiquissimus.

beneficia sine diminutione conferantur. controu. 4. Sunt autem annata communitè mediū fructus primi anni Episcopatum, aliarumq; dignitatum & beneficiorum à Pontifice impetratorum, ejusdem Camera reservati: hac ratione, ut cui impeterum de beneficio excedente valorem 24. ducatorum de Camera providebitur, teneatur is dimidium proventus beneficii impetrati fisco seu ærario Apostolico pendere; sed & in conformitatem beneficiorum, ubi pensiones excedunt summam 24. ducatorum juxta Constitutionem Clementis Papæ VII. sancitum est annatas debere persolvi: unde stylus Curia observat, ut quando alicui confertur beneficium, super cujus fructibus est alteri reservata annua pensio, tunc in expeditione literarum provisionis beneficii, solvatur annata, detractâ pensione. Est autem institutum hoc genus tributi, ad subventionem Summi Pontificis, & Cardinalium, aliasq; Ecclesiæ necessitates: simili modo, quo lege veteris Testamenti decimæ decimarum præstandæ erant summo Sacerdoti, Gomezius in reg. de valore exprim. in impetr. benef. in præfat. Gigas de pension. quest. 26. num. 1. & 2. Flamin. Paris. loc. cit. num. 56. & seq. Azor, instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 12. Chokier in comment. ad reg. 61. num. 20. Gudelin. de iurè noviss. lib. 6. cap. 4. num. 34. Zypæus in analys. loc. cit. Zoesius supra. Naturalem enim æquitatem dictare docet D. Thom. 2. 2. quest. 87. art. 4. ad 3. ut ille, qui omnium curam habet, de communi alatur; ideoq; Pontificem posse à singulis Clericis decimarum decimas exigere; quid ni unius, vel dimidii anni fructus sibi reservare? quod continet minus gravamen.

De benef. c. 24. ducates non excedentibus nō solvitur annata juxta Concordata Germanicæ. §. 2. His præmissis, Respondeo in Concordatis Germaniæ supra n. 6. circa annatas expressè statui, ut in primis de Cathedralibus Ecclesiis, & cœnobiis virorum duntaxat vacantibus & vacaturis, solvantur pro annatis ex fructibus primo anno colligendis à die vacationis, summæ pecuniarum in libris Camera Apostolicæ taxatæ, quæ communia servitia dicuntur. De cæteris verò Dignitatibus, Personatibus, officiis & beneficiis sæcularibus & regularibus quibuscumque, auctoritate Apostolicâ conferendis, solvantur annatæ, seu mediū fructus,

Clementis
Papæ 7.
Constit. 33.
Bullariis
tom. 1.

Num. 18.
vers. 8. &
seq.

Etus, juxta æstimationem taxari soliram à tempore possessionis infra annum: & debitum hujusmodi non transeat in successorem. Alia autem beneficia quæ annum valorem 24. florenorum auri, seu ducatorum de Camera non excedunt, ab annatis sint immunia; & idcirco Regulæ Cancellariæ Apostolicæ jubent exprimi verum valorem annum in impetrationibus beneficiorum, Gomez ad dictam reg. de exprim. valor. Chokier in comment. ad reg. 61. cancell. ad cujus ratam taxantur annatæ; verum hodie ex generali consuetudine & stylo Curie Romanæ obtentū est, ut omnes Canonicatus & Præbendæ, ac dignitates inferiores Germaniæ, Hispaniæ, & Belgii sub expressione illius taxæ Cameralis 24. ducatorum impetrentur: Ideoq; nullæ solvantur annatæ juxta prædicta Concordatæ; atque ita ex consuetudine taxandi in Germania & aliis locis antedictis, Regulæ olim LXI. nunc LV. Cancellariæ Apostolicæ de exprimendo vero valore. satisfieri solet, Branden. ad Concord post quest. 12. notab. 2. num. 7. Chokier in comment. ad reg. 21. num. 17. & ad reg. 61. num. 21. Zypaus in consultat. canonic. lib. 1. consultat. 6. de valor. Belgic. benef. exprim. & in analyt. iuris pontif. lib. 3. tit. ut Eccles. benef. sine diminut. conferantur. controu. 4. Idq; multoties Rota Romana probavit, uti & non adeò pridem apud Zypaum loc. præcit. in consultat. canonic. in una Cameracensis Canonicatus coram R. P. D. Merlino 20. Novembris 1624. cujus decisionis verba hæc sunt. Nec suffragatur Guilielmo, quòd fructus Canonicatuum illarum partium soleant exprimi per non excessum in ducatis 24. ut de consuetudine totius Germaniæ dixit Rota in Leodiens. Canonicatus. 9. Decembris. 1589. & in Colontien. Canonicatus. 20. Maij 1602. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio. in Leodien. Canonicatus & Scholastriæ. 27. Februarj. 1612. coram bon. mem. Cardinale Sacratio. & in Paderbornen. Canonicatus. 29. Maij. 1620. coram Reverendissimo Domino meo Decano. Quoniam talis consuetudo obtinet quidem in provisionibus qua fiunt in Curia ad effectum iustificacionis narrativa factæ in gratia concessa per Papam, & in his terminis procedunt dictæ decisiones. & hoc introductum fuit per Concordatæ, ut evitetur solutio annatæ in Curia &c. hætenus Rota. Quod & in Gallia obtinere tradit Rebuffus in syntagm. iur. canon. lib. 1. tit. 5. lit. D. &

in praxi de signatura gratia. part. 3. §. nec non verus valor sub num. 7. & tit. de unionibus beneficiorum. gloss. 7. videlicet, quod exceptis majoribus beneficiis, in reliquis non soleat exprimi nisi valor 24. ducatorum, etiamsi mille valerent, VVames. in consil. canon. tom. 3. consil. 226 num. 5.

Secus de pensionibus excedentibus 24. ducatos.

§. 3. Advertit tamen idem *Zypaus in analyt. loco praxi.* quod licet beneficia Germaniæ sint ab annatarum solutione libera, pensiones tamen super huiusmodi beneficiis assignatæ, si viginti quatuor ducatos excedant, ad annatas teneantur; nam cum hoc privilegium exemptionis ab annatis non nisi indirectè concedatur beneficiis prædictis, ex eo nimirum, quod non supra viginti quatuor ducatos censentur, non verò simpliciter sint ab annatis immunita, videtur, quod si pensio super iis assignata viginti quatuor ducatos excedat, eo ipso impetrantes privilegio priventur, ut ob detectam rei veritatem, legibus Ordinariis sese conformare teneantur.

Solus Papa annatas imponit.

§. 4. Solus porrò Papa annatas imponere valet; utpote qui plenitudine potestatis Papalis potest beneficia extingui, alia aliis unire, dividere, redditus eorum augere & diminueri; item & partem reddituum beneficiorum vacantium, & non vacantium, cum consensu beneficiariorum; imò & sine illo, ob justam causam applicare alicui bello pio, vel aliis piis operibus & necessitatibus, adeoq; & annatas vel compositiones imponere, *Layman Theol. moral lib. 4. tract. 10. cap. ult. §. 5. num. 46.*

Et non Episcopi.

§. 5. Quamvis autem Episcopi olim annatas, seu primos fructus ex beneficiis sibi reservare pluribus in locis solebant, teste *Gerson p. 2. operum. tr. de Simonia. obiect. 3.* Id tamen minime licet, ac juri communi adversatur, quo jubetur beneficia Ecclesiastica absque diminutione conferri, ut colligitur ex *c. unico. ut benef. sine diminut. confer. D. Thom. 2. 2. quest. 100. art. 4. ad ult.* quod & declaravit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum hisce verbis: *Episcopus non potest primi anni fructus alicuius beneficii (cujusmodi sunt annatæ) sibi retinere, vel attribuire pro datione possessionis ei, qui legitime est provisus. Zerola in praxi Episc. part. 2. verb. bulla. quest. 3. conformiter*

Pii Papæ
& Constit.
104. Bul.
laris som.
2.

mitter Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 14.* & Pii Papæ V. Constitutioni, quibus severè vetatur pro possessione, electione, præsentatione, nominatione, collatione, vel provisione alicujus Ecclesiæ, vel beneficii, Canonicatum aut Præbendarum, vel provisi in possessionem inductione quidquam accipi, nisi in pios usus convertatur, *Zerola in praxi part. 2. verb. possessio beneficii. in fin.*

§. 6. Vnde ex communi Doctorum sententia Capitula & alii quicumque nihil omninò exigere possunt ab eis, qui sunt electi, præsentati, instituti, vel instituendi, confirmati, vel confirmandi, vel ad possessionem admittendi suorum Canonicatum & beneficiorum, aut distributiones recepturi, nisi ex antiqua consuetudine tale quid recipi solitum consueverit converti in pios usus: veluti in usum fabricæ, sacristiæ, cæmeterii, aut pauperum eleemosynas, non etiam in commodum & utilitatem Canonicorum, aut beneficiariorum, prout fieret, si distribueretur inter Capitulares, aut si solveretur mensuræ Capituli, vel in reparationem bonorum ejus, quia tum redundaret & cederet in utilitatem singulorum, juxta Declarationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum relatum à *Garcia de benef. part. 8. cap. 1. num. 90.* Alioquin censetur Simoniacum, & accipientes & exigentes incurrunt penas Simoniacorum, juxta Concilii Tridentini & Pii Papæ V. Sanctiones *suprà* adductas. Quod est diligenter notandum, aut ait *Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 35. dubit. 18. num. 111.* contra communes & quotidianos Capitulorum abusus. Sed & super his extat præclara Declaratio Cardinalium Concilii Tridentini interpretationi præpositorum *in una Leodien. Ecclesiæ Collegiata S. Foilliani Oppidi Fossensis.* extensè posita per *Garciam part. 8. de benef. cap. 1. num. 84.* quâ abusus istic vigens recipiendi à novo Canonico 151. florenos, omninò fuit interdictus. Quin & in his largitionibus nulla consuetudo etiam immemorialis excusat; cum d'uturnitas temporis non minuat peccatum, sed augeat *c. non satis. 8. de Simon.* adeò ut ne quidem liceat citra Simonix labem certum quid dare Capellanis, & pueris ministris chori, pro receptione novi Canonici; cum

Capitula
nihil exigere possunt
pro electione,
institutione, &
possessionis
datione.

Idipsum juxta Concilium Tridentinum & præcitatum Pii V. Pontificis Constitutionem, non convertatur in usus pios; imò nec pro pastu aliquid exigi potest, etiam si solum detur prandium; modò ex pacto & quasi debitum ob receptionem Canonici detur, non obstante quacumque consuetudine etiam immemoriali. *c. fin. l. q. 3. c. non satis. 8. c. cum in Ecclesia. 9. c. Iacobus 44. de Simon. gloss. in c. ex parte. 12. verb. dimittere. de off. deleg. Vallensis in paratit. Decretal. lib. 5. tit. 3. §. 4. num. 9.* præsertim cum Pius V. eadem suâ Constitutione; quæ est declaratoria d. cap. 14. Concil. Trid. declaraverit Episcopum, qui aliquid (etsi dulciaria duntaxat) exegerit in receptione alicujus in Canonicum, esse suspensum à Pontificalis officii exercitio: Capitulum autem seu Collegium talia exigens subjacere Interdicto: privatas verò personas sententiæ Excommunicationis: & eos, qui sic aliquid acceperint, ad restitutionem teneri. Datum autem & factum absque ullo pacto, nihil mali moris includit, cum liberalitas æstimationem alicujus rei non inducat. *c. tua nos. 34. de Simon.*

Nisi eorum occupatio- nes & laboribus aliud requirant.

§. 7. Mihi tamen non usque censendum videretur Capitulum, si ob molestiam Congregationum, lecturam literarum prolixarum, operamve similem, quæ separabilis est à consideratione receptionis, sicuti fit in stipendio pro celebratione Missæ, proportionatum operæ pretium, & non amplius exigat; quanquam satius sit & ab hoc abstinere, ne cui videatur species mali, ut monet Zypæus in analyt. juris Pontif. nov. lib. 5. tit. de Simon. num. 8. ita docente Apostolo Paulo; *Ab omni specie mala abstinete vos.* Ad eò enim à Sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis damnantur hujusmodi largitiones, ut nec de cætero possit fieri statutum à Capitulo, quo obligentur novi Canonici aliquid solvere pro admissione ad possessionem; sed nec hodie licet in pium usum accipere, quod antè vertebatur in proprium, uti declaravit Sacra Congregatio ad dubia Concilii Tridentini interpretanda deputatorum apud Garciam loc. cit. num. 87. 88. & seq. Et ita circa præmissa à nobis tradita docent Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. bullæ ad 7. & part. 2. verb. possessio ad 5. Piasec. in praxi Episc. part. 2.

1. ad Theof. sal. cap. ult. v. 22.

cap. 4.

cap. 4. art. 7. num. 15. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 35. dubit. 18. num. 111. Malderus in 2. 2. D Thom. trac. 9. cap. 3. dub. 9. Garcias de benef. part. 8. cap. 1. num. 83. 84. 85. & seq. Gudelinus de iure noviss. lib. 6. cap. 8. num. 31. Viggers de iure & iust. trac. 7. cap. 4. dub. 12. num. 73. Canisius in sum. iuris canon. lib. 3. tit. 14. §. 3. Zypaeus in analyt. iuris Pontif. nov. lib. 5. tit. de simon. num. 8. Zoefius lib. 5. Decretal. tit. 3. num. 45. Vallensis in paratit. Decretal. lib. 5. tit. 3. §. 4. num. 7. 8. & seq.

§. 8. Vtrum verò Archidiaconi ex consuetudine pro institutionibus seu investituris in beneficiis licite aliquid accipiant; vel exigere valeant, videri potest apud Flamin. Paris. de Confident. quæst. 38. n. 38. Binsfeldium de simon. in c. 12. quæst. 1. conclus. 4. Item an pro literis collationis beneficii, expeditione & sigillo citra simoniae labem quidpiam recipi queat, consulti potest Piassec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 3. num. 97 & 98. & Branden. ad Concord. quæst. 4. num. 30.

An Archidiaconi pro institutionibus aliquid exigere possint.

TITULUS III.

De Concordatorum Germaniae usu & observantia.

DVBIVM I.

Quibus potissimum in locis vigeant Concordata Germaniae?

§. I. **Q**uamvis difficile sit singula loca speciatim describere, seu determinare, in quibus Concordatorum Germaniae est usus & observantia; tum quod ex ipsorum tenore primâ fronte inspecto, quasi appareat eadem non universaliter per totam Nationem Germanicam, sed tantum per *Fredericum III.* Imperatorem, & nonnullos Germaniae

Status quæstionis eius, determinationis difficultas.

Principes quâ Ecclesiasticos, quâ laicos seu seculares, cum Sede Apostolica fuisse pactâ, laudatâ, approbatâ, conclusâ, & acceptatâ, additâ ad finem clausulâ, *ut ordinatio collationum beneficiorû non reservatorum per alteros menses possit per dictam Nationem publicari.* & omnes, qui eâ gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc à Kalendis Junii currere incipiat &c. *Zypæus in consultat. canonic. lib. 3. tit. de præben. consultat. 3.* Tum etiam, quia ex orientibus postmodum impudici Lutheri, & impij Calvinij hæresibus, non pauca in Germania ditiones veram orthodoxam Religionem unâ cum Concordatis reieceres; quantum tamen ex scriptoribus ea de re colligere licebit, in medium proferam.

Concordata Germaniæ extra Imperium locum non habent.

§. 2. Respondeo igitur primò certum esse, quod Concordata Germaniæ non extendantur extra Imperij Germanici fines, siquidem cum solo Imperatore & Principibus Germaniæ, nomine solius & totius Nationis Germanicæ inita, *VVamesius in consil. canonic. tom. 1. consil. 246. n. 16. & consil. 255. n. 10. & seq. ac consil. 259. num. 3. Zypæus in consultat. canonic. lib. 3. tit. de præben. consultat. 3. 5. & 6.* regulare enim est, quod pacta non nisi partes contrahentes ligent, nec ultra extendantur, aut aliis profint, vel obsint, *l. 2. C. res inter alios acta.* Unde concludunt *VVamesius & Zypæus locis præcit.* in Brabantia & reliquis Belgij provinciis, quibus cum Imperio nihil est commune, nec Concordata Germaniæ, aut preces Imperiales locum obtinere; si tamen per paucas Ecclesias exceperis, videlicet Nivellensem, utpote quæ Principatus est Imperij, & foundationis Imperatoricæ; ac Cameracensem pariter notorium Imperij feudum & Principatum, ac Nationis Germanicæ membrum, quibus proinde nulla competit exemptio à iurisdictione Imperatoria, *Leoninus consil. 50. & Zypæus in consultat. canonic. lib. 3. cit. consultat. 3. de præben.* Nec non etiam Thenensem, in qua nimirum servatâ Concordatorum formâ & normâ collatores Ordinarii sunt Decanus & Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Ioannis Evangelistæ Leodiensis, *VVamesius in consil. canonic. tom. 1. consil. 247. n. 1. 2. & seq. & 22. ac Leuvensem VVames. in consil. canonic. tom. 1. consil. 237. per tot.*

quin

quin & cùm prædictæ Ecclesiæ olim tum Imperio, tum Diœcesi Leodiensî subfuerint, ideò nec ex translatione ad alterius dominum primæva privilegia amisissè censentur, *Chokier ad preces primar. in proam.* His adde Traiectum ad Mosam, quia ut dicitè scribit *Zypæus supracit. consultat. 3.* licet Traiectum fuerit primitivè à *Philippo II.* Imperatore, *Henrico* Duci Brabantia beneficiario iure concessum, & à *Frederico II.* & *Henrico* eius filio confirmatum, à Leodiensibus tamen variè semper exitit controversum: ac quamvis denum à *Carolo V.* Imperatore, Brabantia firmiter sit annexum; non desierunt tamen Leodienses indivisa ibi iura possidere, ut non mirum sit, si illa Ecclesia Cathedræ tuæ mores sit imitata, cui in spiritualibus & temporalibus non desierat subesse, adeoq; Concordata Germanica acceptaverit; hætenus *Zypæus* verum hodie proh dolor! sub foederatorum istic Belgii Ordinum Imperio & præsidio, ac prædominante hæresi, Ordinariæ dumtaxat collationes admittuntur, & Pontificiæ iuxta eadem Concordata, uti & preces Imperiales excluduntur, peiori certè ab hæreticis in Germania exemplo, qui etiamnum teste *Chokier ad preces primar. sect. 4. sub lit. C. versic. verum enim verò.* preces Cæsareas & Concordata Germaniæ reverenter admittunt & observant.


§. 3. *Respondeo secundò,* si superiorum sæculorum acta revolvantur, fateamur necesse est, in omnibus Imperio Germanico subiectis Ecclesiis Concordatorum usum constantem fuisse, iisq; conformiter factas beneficiorum Ecclesiasticorum provisiones absque contradictione effectum suum esse fortitas *Branden ad Concord. quæst. 3. num. 5. 6. 7. & seq.* utpote quæ sunt multò favorabiliora, quàm privilegium alternativæ per Regulam *X.* Cancellariæ Apostolicæ concessum; ut proinde rectè asserat *Zypæus in analyt. iuris Pontif. nov. lib. 3. tit. de instit. num. 11.* imprudenter eos facere, qui cùm uti possint alternativa Concordatorum, quæ simplex est & sine restrictione, acceptant alternativam Regulæ prædictæ Cancellariæ, minùs validam, conditionatam & multis cautelis obnoxiam, & quæ non fulciuntur iura magis valida. Sed & hodie im

Concordata per Imperium passim sunt & fuerunt recepta.

die in plerisque potissimum Episcoporum & Catholicorum Germaniæ Principum ditioribus, quæ intra Imperii Germanici fines & iurisdictionem continentur: imò & apud præsentem reformatæ religionis Sæctatores locum habent, ut quotidiana docet experientia; quandoquidem dicta Concordata, prout ex eorum tenore constat, per Imperatorem & Principes Germaniæ, totius Nationis Germanicæ nomine, cum Sede Apostolica fuerint conclusa, & acceptata: adeoq; pro sibi subditis contraxisse, eosq; obligasse censeantur, *Leoninus consil. 50. Zypæus in consultat. canon. lib. 3. consultat. 3. vers. Et quamvis. de præben.*

Quod &
exemplis
confirmatur
tum a
pud Leodienses

§. 4. Pro cuius rei confirmatione varia sunt exempla, quibus Cæsarea Maiestas in quotquot Sacri Imperii Romani provinciis tam orthodoxæ, quàm heterodoxæ religioni addictis, si qui dictis Concordatis contravenissent, illos specialibus suis editis ad inviolatam eorum observantiam cœgit: ac nominatim quidem Episcopo Leodiensi, aliisq; in eius Diœcesi collatoribus id demandavit *Maximilianus* Imperator Diplomate suo II. Julii 1518. dato, cuius summarius tenor sequitur



MAXIMILIAN I Imperatoris Romanorum edicto cautum est, ut Concordata Germanicæ Nationis sedulo serventur apud Leodienses; ita ut nihil pactis & Concordatis illis derogetur: si verò quispiam Cæsareo edicto & voluntati ausu temerario contravenire præsumserit, mulctabitur, quemadmodum latius patet in diplomate dato Augustæ die II. Julii 1518.

§. 5. Idemq; apud Cameracenses iussit *Carolus V.* Imperator literis

literis suis datis Bruxellæ 9. Februarii. 1554. ne aduersus eadem
 Concordata provisos admitterent, *V. V. ames. in consil. canon. tom. 1. consil. 33. num. 13. Zypæus cit. consultat. 3.*

*Tum Ca-
meracen-
ses.*

§. 6. Et meritò quidem, cùm Imperator sit advocatus & defensor iurium Sedis Apostolicæ, & Concordatorum Germaniæ, *text. in c. venerabilem. 33. de elect. Clem. 1. de iure iur. Chorkier ad preces primar. sect. 1. lit. K. uti eum vocat Clemens Papa VIII. in speciali Brevi ad Rudolphum II. Imperatorē. 15. Ianuarii. 1603. transmissio, hortaturq; ut circa Præposituram Ecclesiæ Bremensis, quam Capitulum uni ex Ducibus Luneburgensibus contra expressam Concordatorum reservationem conferre præsumperat, eadem Concordata tanto, inquit Pontifex, pondere sancita, nullo modo violari, aut imminui patiatur, uti latius liquet ex eius hic subiecto tenore.*

*Cùm Im-
perator sit
defensor
Concorda-
torum, ita
à Pontifi-
ce appella-
tus.*



CLEMENS PAPA VIII.



Harissime in Christo fili Noster, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium

Num. 1. Superioribus diebus, cùm Præpositura Ecclesiæ Bremensis vacaret per obitum *Theodoric à Gallen*, Nos illam Apostolicâ auctoritate contulimus dilecto filio *V. V. esselo de Brugeneio*, cognomento *Hafencambo*, qui literis Apostolicis de more expeditis, cùm eas possessionis obtinendæ causâ, Capitulo eiusdem Ecclesiæ ritè proponendas, atque intimandas curaret, à Decano & seniore illius Capituli convocationem impetrare non potuit; quin etiam, ut accepimus, & factis, & verbis parùm modestis Apostolicam provisionem rejice-

*Exponit
hic Ponti-
fex provi-
sionem de
Præposi-
tura Bre-
mensi à se
factam, à
Capitulo
contra Con-
cordata
Germaniæ
reiecitam.*

Z re sunt

re sunt visi, quasi ad eos liberæ electionis ius pertineret: immò verò usque eo progressi sunt, ut certum quoque hominem, ut audivimus, elegerint ex Ducibus Luneburgensibus, eumq; facto ipso, quod nullo iure licuit, in possessionem immiserint, non solum gravi iniuriâ, & detrimento illato eidem *Wesselo*, sed per summam inobedientiam erga hanc Sanctam Sedem, in qua Deo auctore, meritis licet impares præsidemus, & non mediocri etiam cum offensione Cæsareæ Maiestatis Tuæ, quæ pro sua insigni æquitate & prudentia se *Defensorem*, ut par est, *profitetur eorum*, quæ iam pridem inter hanc ipsam Sedem & Nationem Germanicam pacta sunt, & *conventa*, quæ *Concordata* appellantur; in quibus nominatim cautum est verbis disertis, ut eiusmodi dignitates post Pontificalem maiores reservatæ sint, & esse se debeant dispositioni & provisioni Sedis Apostolicæ. Quibus illud accedit, quod ultimi supradictæ Præposituræ & dignitatis possessores & ab Apostolica Sede provisionem obtinuerint, & eiusdem vigore provisionis, à Capitulo Bremensi sint admissi, ut tantò magis eorum nunc temeritas gravis & reprehensibilis extiterit, quæ certè permolesta Nobis accidit, & nullo modo est ferenda.

*Proinde
pro eius
munitione
opem
Cæsareæ
Maiestatis
imploret.*

II. Quare ut tam perniciosi exempli semen quam celerrimè evellatur, & Capitularium audacia coerceatur, Maiestatem Tuam etiam atque etiam hortamur in Domino, atque ab ea efficaciter petimus, ut pro sua spectata in Nos, & hanc Sanctam Sedem pietate & iustitiæ Pa-

tro

trōcinio, Concordata Germanica tanto pondere sancita, nullo modo violari, aut imminui patiatur; immò verò ut ius postulat, ab ipsis Capitularibus observari curet, & re ipsâ ostendat, quod ab eis in hac causa actum est, & agitur, maximè Maiestati Tuæ displicuisse, & displicere; & denique omni adiumento, & auctoritate Tuâ eidem *Wesselo*, qui Apostolicam Nostram colationem & provisionem habet, ita benignè faveas, & propensè suffrageris, ut is ius suum, & collatæ Præposituræ possessionem obtineat.

III. Erit hoc dignum virtute & magnitudine animi Maiestatis Tuæ, & Nobis etiam valde gratum, quod Noster etiam Apostolicus Nuncius Venerabilis frater Archiepiscopus *Spinellus* cumulatius exponet Maiestati Tuæ, cui toto ex animo felicissima omnia à Patre luminum optamus & precamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 15. Ianuarii, M. DC. III. Pontificatus Nostri anno undecimo,

*Eius virtute
sue dignam.*

§. 7. Circa eandem autem Præposituram Bremensem extat insignis Decisio Rotalis *part. 2. recent. decis. 580.* quam lector videre poterit, nam tangit eundem calum.

Hæc conformis emanavit decisio Rotalis.

§. 8. Insuper *Vrbanus VIII.* Pontifex Maximus anno 1624. in simili causa opem *Ferdinandi II. Cæsaris* imploravit contra Halberstadienses, ut refert *Carolus Carafa* Episcopus Aversanus, Sedis Apostolicæ ad eundem Nuntius in commentariis suis de Germania sacra restaurata, fol. mihi. 177. & 178. hisce verbis: *hoc eodem anno, scilicet 1624. & paulò post, Româ mihi Breve Apostolicum venerat ad Cæsarem, quo sanctissimus Dominus suæ Maiestatis brachium implorabat ad tuenda iura Sedis*

Eoq. etiam nem se Imperator ab Urbano 8. Papa fuit imploratus.

Apostolica, in Præpositura Ecclesie Halberstadiensis, quam contra iura Sedis Apostolicæ, & Concordata Germaniæ, Rex Daniæ filio suo, etiam emptus variis, sacrilegè addixerat, admotâq; vi propugnare studebat. Cuius violentiæ cum Casarem monuissem, magnâ diligentia Tillio imperavit, ut satageret iura Ecclesie Romanæ conservare; & licet multos parati exercitus inferioris Saxonie deterrerent, non deterruerunt tamen Casarem, neque Tillium, qui officii sui memor sedulo rem Catholicam promovit.

*Exceptio
de non usu
Concorda-
torum fir-
mula.*

§. 9. Ex his autem perspicere licet, quod exceptio de non recepta lege, seu non utu Concordatorum, tam intra, quàm extra iudicium fit nulla, frivola & inanis, *Brandenad Concord. quæst. 3. num. 5. 6. 7. & seq. ac quæst. 4. per tot. Piasec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 2. post. num. 8. Chokier ad reg. 8. cancell. gloss. 11. num. 12. & 13. explorati enim iuris est, quod fuerint per Imperatorem & Principes Germaniæ nomine totius Nationis acceptata, & sic in pactum abierint. Crescem. decis. 2. de privileg. Mohedan decis. 23. in fin. de praben. Chokier loc. cit.*

*Responde-
ad argu-
mentum cõ-
traria, &
quidem ad
primum.*

§. 10. Nec obstat, si dicas illa non fuisse universaliter per totam Nationem Germanicam acceptata & recepta: quia, ut eleganter deducit *Leoninus consil. 50.* contrarium elicitur ex narrativa *Nicolai V.* Pontificis in sua Constitutione, quæ refert Concordata pro pace & utilitate, ac nomine totius Nationis inter *Fredericum Romanorum Regem*, & nonnullos alios Ecclesiasticos & sæculares Principes Nationis Germanicæ, ac Legatum Sedis Apostolicæ, sufficienti ad hoc per eandem mandato suffultum fuisse inita, & à partibus hinc inde approbata, laudata, conclusa, & acceptata: quod & declaravit *Sixtus Papa IV.* Constitutione suâ ad favorem Episcopi & Cleri *Ultraiectensis* anno 1473, ut refert *Leoninus supra* his verbis. *Et Nobis legitime constitò, Concordata ipsa indifferenter pro tota Natione esse inita &c.* Unde constat, statim & incontinenti absque ulteriori particularium acceptatione, præsentem & puram obligationem totius Univerſitatis, Nationis atque Imperij fuisse inductam; siquidem cum ista Concordata ex parte Germanicæ Nationis per Regem Romanorum, & Electores Im-

Electores Imperii, ac plures alios sæculares & Ecclesiasticos Principes, nomine totius Nationis, & per eam repræsentantes, inita & acceptata fuerint, non fuit necessaria aliqua particularis subditorum acceptatio; quia Concordata habent vim pacti & contractus pro pace & utilitate totius Reipublicæ Germanicæ initi: & proinde omnes subditi Imperii, ac Nationis Germanicæ ab initio sine ulla acceptatione, etiam inviti & nolentes ad eorundem Concordatorum & conditionum inita pacis observationem obligati fuere; cum ad Regem seu Imperatorem, & Electores Imperii pertineat pacis & publicæ tranquillitatis media constituere, ac Concordata inire, & omnes subditos & successores iis obstringere, & universo populo bonum generale acquirere. Est enim Princeps omnium Præsul, & pro omnium salute vigilare debet, habetq; rerum publicarum administrationem, ita quod ex contractibus per eum ac proceres Regni seu Imperii factis, Reipublicæ jus acquiratur, & Respublica obligetur: præsertim quando contractus per modum fœderis pro pace & nomine Nationis, seu Regni aut Imperii (uti hîc factum est) celebrantur in perpetuum. Nam quod venit in fœdera pacis, solidius subsistit, neque in particulari à subditis infringi, convelli aut argui potest: in his etenim quæ publici juris sunt, & Universitati Nationis competunt, nullum est subditorum arbitrium, aut potestas, ita perpulchrè *Leoninus cit. consil. 50.* Ut proinde sicuti *Franciscus I.* Galliarum Rex per Concordata cum *Leone X.* Summo Pontifice inita totum Regnum obstrinxit, & *Leo* toti Regno Concordatorum observantiam mandavit, non expectat à particularium acceptatione, *Zypæus in consultat. canon. lib. 3. tit. de praben. consultat. 3. vers. Qua in re &c.* non secus Imperator per hæc Concordata cum S. Sede pacta & conclusa, eo ipso omnes sibi subditos obligasse, & pro illis contraxisse censetur; quia uti supremum Imperii caput, præsertim etiam cum proceribus adunatum eminenter & virtualiter continet consensum inferiorum: adeoq; non immeritò à Summo Pontifice constituitur protector, defensor, & conservator

prædictorum Concordatorum adversus omnes contraria attentantes, *suprà hoc tit. 3. dub. 1. §. 6.*

Ad secundum.

§. II. Nec quidquam facit in contrarium clausula de facultate acceptandi in Constitutione *Nicolai V.* adjecta; nam facultas illa non ad diminutionem, sed ad augmentum & abundantiore cautelam apposita fuit, propter eos, qui quamvis in Germanica Natione consisterent, Imperii tamen superioritatem tempore Concordatorum non agnoscebant, *Leoninus loco cit.* utpote jura Regia possidentes, quales referuntur Rex Bohemiarum, Archidux Austriae & similes, *Zypaus præcit. consultat. 3. vers. siquidem longè distat.* de quibus idem *Zypaus ibidem* meritò à Gallis respectu Regis sui, & ab eo initorum Concordatorum, diversam ponit rationem, non autem de aliis Imperii Germanici superioritatem agnoscentibus.

Apud Leodenses vigent Concordata Germaniae

§. 12. Licet porrò apud nos Eburones Concordata Germaniae fuerint hætenus in viridi observantia, quod abundè demonstrat declaratio *Julii III.* Summi Pontificis hæc subjuncta.



JULIUS PAPA III.

Exordium.



Ad perpetuam rei memoriam, Decet Romanum Pontificem Domini Nostri Iesu Christi, à quo pax & concordia, ac reliqua bona procedunt, in terris Vicarium concordis inter Sedem Apostolicam & Nationes Germanicas initis firmiter adhærere, & ne eis contraveniatur, efficaciter providere.

Constit. Julii Papa 3. Super Concordatis Germaniae ad favorem Leodensium.

Refert hic Pont. tenorem Concordatorum Germaniae.

Num. I. Sanè nuper accepimus, quòd licet Concordatis inter dictam Sedem ex una, & inclytam Germanicam Nationem ex altera partibus dudum initis, & per fel. recor-

Nico-

NICOLAUM V. primò, & deinde diversos alios Romanos Pontifices Prædecessores Nostros approbatis & innovatis, ac mutuo partium consensu firmatis, inter alia caveatur expressè, quod de beneficiis sæcularibus & regularibus dictæ Nationis, etiam dispositioni Apostolicæ aliàs quàm ex causis inibi expressis reservatis, pro tempore vacantibus, jure ordinario provideatur per eorum Ordinarios collatores, nec ipsi Ordinarii collatores impediantur, quò minus de illis, cum de *Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris & Decembris* mensibus vacent, liberè disponatur per eos, ad quos illorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alià dispositio pertinet, & Concordata hujusmodi Civitatem & Dioccesim Leodiensem comprehendant, seu ad illas extensa sint: nihilominùs pro eo, quod postmodùm piæ mem, SIXTUS Papa IV. etiam Prædecessor Noster Dilectis filiis Vniversitati Doctorum, Magistrorum, & Scholarium studii Lovaniensis dictæ Diocesis, & seu forsan facultati Artium in eodem studio institutæ, aut pro tempore existenti Rectori Vniversitatis hujusmodi deputandorù consilio & assensu nominandi singulis prædictis Capitulis, Cõventibus, Collegiis, & personis Ecclesiasticis utriusque sexus, sæcularibus & Regularibus, etiam si Abbatissali, Abbatiali, Episcopali, vel Archiepiscopali, aut Cardinalatus fungantur dignitate & honore, ad quos, quas, & quæ, Canonicatum & præbendarum, ac administrationum & officiorum, cæterorumq; beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura & sine cura, in terris temporalis

.Lu.
pe
per
datis
nia
orem.

poralis Dominii, tunc Ducis Austriae consistentium collatio, provisió, presentatio, electio, seu quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, & eorum cuilibet, etiamsi aliqui ipsorum extra terras sedem & residentiam habeant, unum Clericum ex studentibus & graduatis Universitatis hujusmodi certo tunc modo expresso qualificatum facultatem perpetuò duraturam concessit, & concessio hujusmodi ad dictas Civitatem & Diocesim extensa fuit: & à nonnullis forsan nimium scrupulosis asseritur, in concessione & seu illius extensione hujusmodi Concordatis prædictis derogatum fuisse inter Ordinarios collatores Civitatis & Diocesim prædictarum, seu eos, quibus beneficia ipsa per eosdem Ordinarios collatores pro tempore conferentur, ex una, & pro tempore nominatos ad beneficia hujusmodi ex altera partibus, diversæ quæstiones & discordiæ, contentiones & lites sæpius oriuntur, & quæ ex similibus provenire consueverunt, odia, jurgia & scandala subsequuntur, majoraq; in dies subsequi formidantur, in maximum Ordinarios collatorum, & aliorum, quibus beneficia hujusmodi pro tempore conferuntur, præjudicium, ac studentium seu graduatorum prædictorum perturbationem non modicam.

*Contuit
iisdem per
Indultum
Universi-
tatis Lova-
niensis con-
cessum non
derogari.*

II. Nos attendentes Concordata prædicta vim pacti inter partes habere, & quæ ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non consuevissent, neque debere, volentes litium fomites de medio tollere, singularum literarum Apostolicarum super præmissis confectarum tenores præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, & ex certa

certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, per præsentem statuimus & ordinamus, atque decernimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus iidem Ordinarii collatores, quibusvis nominationibus in vim concessionis facultatis nominandi, & illius extensionis huiusmodi pro tempore factis non obstantibus, de beneficiis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, & electionem, seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertinentibus, juxta ipsorum Concordatorum continentiam & tenorem disponere liberè & licitè possint, quodq; dispositiones per eos de ipsis beneficiis juxta tenorem Concordatorum huiusmodi aliàs ritè & rectè pro tempore factæ, validæ, & efficaces existant, suosq; plenarios effectus sortiantur.

III. Sicq; & non aliàs in præmissis omnibus & singularibus per quoscumque Iudices & Commissarios quâvis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, in quavis causa & instantia, sublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi auctoritate & facultate, judicari & diffiniri debeat, ac irritum & inane existat, si secus à quoquam super his quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

IV. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Universitatis & facultatis prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoq; , indultis & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibus

A a

quibus

*Decretum
irritans.*

*Clausula
derogato-
ria.*

quibusvis etiam derogatoriis, aliisque effi-
 cacibus & insolitis clausulis, nec non irritantibus & aliis de-
 cretis, etiam motu simili, ac aliis quomodolibet concessis,
 ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus om-
 nibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de il-
 lis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, &
 individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas
 generales idem importantes mentio, seu quævis alia ex-
 pressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servan-
 da esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil
 penitus omissio, & formam in illis traditam observatam, insertam
 forent, presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis
 aliis in suo robore permansuris, hanc vice dumtaxat specia-
 liter & expressè derogamus, ac sufficienter derogatum esse
 decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum
 Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die
 14. Septembris, anno millesimo quingentesimo quinquage-
 simo quarto, Pontificatus Nostri anno quinto.

10. Larium.

*Præter
 hæc autem
 Concordan-
 tia, Leodi-
 ensis ha-
 bent alia
 particula-
 ria, iisdem
 antiquiora.*

§. 13. Habemus tamen etiam alia Concordata specialia
 Eugenii Papæ IV. de data anni 1441. confirmata postea à Pio II.
 & Sixto IV. Romanis Pontificibus; quæ multis annis præce-
 dunt Concordata Germaniæ, suntque illis favorabiliora & for-
 tiora, ut ait *Rota apud Cassadon. decis. 7. sub num. 4. vers. in Concor-*
datiis Leodiensibus. ad regul. cancelli quibus nimirum iidem Sum-
 mi Præsules ob bene merita Ecclesiæ Leodiensis, quæ jam
 inde à temporibus Apostolorum in pura pura fide orthodoxa
 huc usque, etiam in mediis vicinis Belgii flammis, & circum-
 strepentium hæreticorum procellis sæpè concussa, illa sa-
 men, immota & constans permansit, adeoque meruerit fide-
 lis

lis Ecclesia Romana filia appellari: eam condecorarunt beneficio alternativæ; sicq; Serenissimus & Reverendissimus Episcopus & Princeps Leodiensis, aliiq; collatores inferiores multiplicatum habeant titulum alternativivi mensis, absque cujus expressa derogatione, si Sedes Apostolica provideret, non teneret, quia plura vincula fortiora sunt uno, §. *affinitatis. instit. de nuptiis. l. cum in adoptivis. 10. C. de adoption. & duobus impedimentis existentibus. uno sublato, remaneat aliud. c. pastoralis. 19. de privileg. c. extuarum. 5. de auctor. & usu pallii. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 13. in pr. n. 92. & 93. Chokier ad eandem reg. gloss. 11. n. 35. & in comment. ad preces primar. sect. 4. sub lit. C. præsertim ubi est adjecta clausula irritans, ut in dictis Concordatis, quæ irritat omnes & quascumque alias Constitutiones quorumcumque tenorum, & quascumque derogatorias clausulas continententes, Chokier supra tam ad reg. 8. quam ad preces primar. Vnde Gonzalez loco præcit. num. 301 ex Mandosio asserit indultum ad conferendum beneficia reservata, non extendi ad beneficia reservata duplici reservatione, vel capite.*

§. 14. Concordatorum autem Leodiensium hic est tenor. Tenor Concordatorum Leodiensium.



EUGENIUS PAPA IV.

Concordata
Leodiensia
cum Eugenio
Papa
4. circa beneficia.



Enerabili Fratri IOANNI Episcopo Leodiensi salutem & Apostolicam benedictionem. Pastoralis officii desuper Nobis injuncti cura deposit, ad ea Nos intendere, per quæ devotè Sanctæ Apostolicæ Sedis consolationi ampliùs provideatur, ac charitati inter Nos & ipsos firmandæ atque augendæ ampliùs consulatur.

Exordium

Num. I. Sanè cum nonnulli ex Germaniæ partibus
Aa 2 pluri.

*Motivum
hujus Con-
suetudinis,
seu Con-
cordat.*

plurimum affectare dicantur, ut circa reservationes beneficiorum juxta morem Prædecessorum Nostrorum per Nos factas, & gratias expectativas, nec non & causas judiciales, atque etiam subsidia ex fructibus vacantium beneficiorum Camera Apostolicæ exhibenda, majori liberalitate, quam hactenus uteremur: Nos considerantes in primis personam Tuam, pro omnibus servitiis Nobis & dictæ Sedi hactenus impensis, de hujusmodi Nostra liberalitate unâ cum omnibus devotis Nostris in tua Civitate & Diœcesi consistentibus bene meritam, Fraternitati Tuæ provisiones & Ordinationes Nostras super præmissis, juxta modum & tenorem inferius descriptos, pro Te & successoribus Tuis recipiendi, ac omnibus & singulis aliis in prædicta Civitate & Diœcesi consistentibus, in quibusvis gradibus, statibus, dignitatibus, & conditionibus existant, ex parte Nostra exhibendi, tradendi, ac cum ipsis de prædictis concordandi, illasque roborandi & stabiliendi, prout tibi melius expedire visum fuerit, tenore præsentium plenam & liberam auctoritate Apostolicâ concedimus facultatem, quarum proinde provisionum & Ordinationum tenor sequitur in hæc verba.

*In vim
ius decla-
rat Pons.
se nullas
dein eps
gratias ex-
pectativas
concessit
& concessit
non nisi ad
quatuor
menses du-
raturas.*

II. Placet Nobis, gratias expectativas sub quavis forma in dicta Natione de cætero non concedere, hactenus autem concessas per quatuor menses à die publicationis & acceptationis infrascriptorum duntaxat durare. Item nullas reservationes dignitatum, beneficiorumve cujuscumque status, valoris, vel conditionis existant, generales vel speciales facere, neque reservationibus per Nos aut Prædecessores Nostros hactenus factis uti, exceptis reservationibus

bus

bus in corpore iuris clausis, exceptis etiam dignitatibus & beneficiis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Prothonotoriorum, Apostolicæ Sedis Auditorum, contradictarum Correctorum, Auditorum Sacri Palatii, & Auditorum Camerae Apostolicæ ac Clericorum eiusdem Camerae, Accolytorum, Cubiculariorum, Abbreviatorum ad numerum centum, Scriptorum grossæ ad numerum centum & unius, Scriptorum pœnitentiariæ ad numerum viginti quatuor, omnium veterorum Commensalium, familiarium Nostrorum, ac etiam familiarium huiusmodi omnium & singulorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quamdiu duraverit vera familiaritas.

*neq. alias
beneficio-
rum reser-
vationes
facturum
præter
clausas in-
co. pore iu-
ris, & sub-
ta extra-
vag. Ad
regiment.*

III. Item placet Nobis, electiones ad Metropolitanas, Cathedralis, Monasteria, dignitates maiores post Pontificales, & principales in Collegiatis electivas per tēpus & tempora à iure statuta expectari, illasq; affirmari, approbari & confirmari, vel infirmari, prout iustitia & æquitas suadebit, nisi ex aliqua rationabili & evidenti causa in litteris Apostolicis exprimenda, aliter visum fuerit providere, provisò etiam, quod confirmati seu provisè per ipsam Sedem Apostolicam, Metropolitanis & aliis Ordinariis præstent debita iuramenta, & alia ad quæ de iure tenentur.

*Declarat
etiam ele-
ctiones tē-
poribus
statutis fa-
ciendas, illasq; con-
firmandas,
vel infir-
mandas.*

IV. De cæteris verò dignitatibus, beneficiis & officiis sæcularibus & regularibus, cuiuscumque valoris & conditionis existant, & quovis nomine nuncupentur, quæ, exceptis reservationibus supradictis, quovis modo, vel ex quavis persona à prædictis vacare contigerit, hoc modo dispo-

*Declarat
in super
vacatio-
nes futu-
ras in mē-
stis Sedis
Apostoli-
cæ, & Or-*

*dinariis
reſp. ſive
reſer. datis.*

natur, videlicet, quod quæ in menſibus *Ianuarii, Martii, Maii, Iulii, Septembris & Novembris* vacaverint, ut præmittitur, ad collationem Sedis Apoſtolicæ liberè pertineant, & quod nullus de vacantibus in dictis menſibus, ut præmittitur, præter Romanum Pontificem, ſe ullatenus intromittat; quæ verò in reliquis ſex menſibus, videlicet *Februarii, Aprilis, Iunii, Auguſti, Octobris, & Decembris* vacaverint, diſpoſitioni Ordinariorum, vel aliàs quovis modo de eis diſponendi ius habentium, iuxta facultatem eis competentem, ſimiliter liberè cedant, iure patronatus laicorum in omnibus ſupradictis ſemper ſalvo: menſis autem in hoc ab ortu ſolis cenſeatur incipere.

*Beneficia
autem &
officia
clauſtralis
in omni
menſe per-
miſſi Or-
dinario-
rum diſ-
poſitioni.*

V. De clauſtralibus autem beneficiis, officiis, & choralibus, & aliis alioquin merum ſervitium etiam perpetuum requirentibus in ſæcularibus & regularibus Eccleſiis, per Ordinarios, ad quos pertinet, omni caſu & omni tempore liberè diſponetur. Ex dictis verò ſex menſibus unum ex ſuppoſitis Vniverſitatum ſtudiorum generalium reſervare etiam placet.

*Præterea
declarat,
quæ cauſæ
in parti-
bus ſine
ſua ſententia.*

VI. Placet etiam Nobis, ut omnes & quæcumque cauſæ (maiorum, ac & electionum Metropolitanarum, Cathedralium Eccleſiarum, Monafteriorum, dignitatum maiorum poſt Pontificales, & principalium in Collegiatis, duntaxat exceptis) in partibus apud illos, ad quos de iure, conſuetudine, vel alio iure ſpeciali pertinent, tractentur & finiantur, Si quis autem ad ipſam Sedem Apoſtolicam

licam per querelam, aut appellationem recursum habuerit, si causa fuerit super re, cuius fructus, redditus & proventus quinquaginta florenorum auri de camera valorem annum non excedunt, vel ubi non est annuus redditus, communis causæ æstimatio ducentos florenos similes non exceſſerit, per rescriptum usque ad finem litis inclusivè in partibus committatur: ubi verò summas prædictas exceſſerit, in tertia saltem instantia apud ipsam Sedem Apostolicam tractentur & finiuntur, nisi fortè defectus iustitiæ ad iustum metum in partibus, de quibus priùs constiterit summarie, contractum, videatur causas ex casibus prædictis apud eandem Sedem Apostolicam fortè esse retinendas. Romanæ verò Ecclesiæ Cardinales, & dictæ Sedis Apostolicæ Officiales, & Summi Pontificis, necnon & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ domesticos, commensales actu in suis officiis in Curia Romana existentes, personasq; infra sex dietas à Romana Curia distantes, vel domino directo vel utili, seu mediatè, vel immediatè subiectas includere non intendimus, sed neque alias personas in quibuscumque causis, ubi utraque pars de iure suo experiri consenserit. Causæ autem præter has, nisi in casibus à iure expressis, & commissionibus exprimentibus, summarie ad probandum, aut de expresso partium consensu in Curia ipsa nullatenus committantur.

VII. Placet & Nobis, quod ab interlocutoria sententia vel gravamine nec in partibus appellari possit; in citationibus autem, quas de Curia Romana emanare contigerit, per Actorem in prima instantia ius exprimatur, quo se fundat

Et quod ab interlocutoria non liceat appellare.

fundare intendit, nec in prosecutione aliud possit deducere, ad hoc, ut Reus citatus de iure Adversarii instructus videat, deliberet plenius, an velit cedere, vel contendere, nisi fortè Actor ius quod ante ipsam citationem sibi competeat, probabiliter ignoraverit, de quo saltem per proprium iuramentum, si aliàs sit persona honesta, fidem facere possit & teneatur.


*Nec non
quis pro
annuis solv
vendum
determinat.*

VIII. Quoad subsidia Apostolicæ Sedi præstari solita, salvâ pro maiori relevatione ea solvere debentium, placet Nobis, quod ipsis oneribus, quæ in regimine Universalis Ecclesiæ ipsam Sedem Apostolicam subire oportet, quæ multiplicia & maxima sunt, ac pro sustentatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Officialium necessitate, dignitates & beneficia, quæ in sua vacatione certam summam hæctenus solvere consueverunt, dictæ summæ medietatem infra sex menses, & aliam medietatem infra alios sex à tempore adeptæ possessionis pacificæ, Camera Apostolicæ & Collegio Cardinalium fideliter persolvant, literæq; Apostolicæ post factam provisionem & obligationem solitam liberè & sine contradictione tradantur. Et si Ecclesiarum aliquarum taxam ex diminutione fructuum nimis gravem nunc & in futurum esse contigerit, ad petitionem eorum, quorum interest, placet Nobis, quod ad convenientem taxam reducat. Si etiam infra annum vacatio eiusdem Ecclesiæ contingat, una tantum vacatio eo ipso censeatur. Ratum & gratum habituri, quidquid iuxta præmissa egeris, concordaveris, statueris, vel ordina-veris, eaq; omnia & singula adiutore Domino faciemus
inviol

Inviolabiliter observari. Datum Florentiæ anno Incarnati-
onis Dominicæ millesimo quadringentesimo qua-
dragesimo primo. pridie Kalendas Novembris, Pontifica-
tus Nostri anno undecimo. Publicata fuit Leodii anno
1442. mensis Ianuarii die ultima in valuis maioris Eccles-
iæ, & ab omni Clero gratanter acceptata & recepta.

S. 15. Confirmavit hæc Pius Papa II. sequenti Constitutio-
ne.

*Quæ con-
firmavit
Pius Pa-
pæ 2.*



PIUS PAPA II.

*Confirma-
tio & am-
pliatio
prædictæ
Constitu-
tionis Eu-
genianæ
per Pium
Papam 2.*



Ad perpetuum rei memoriam. Laudanda Sedis
Apostolicæ reconditudo, quæ in suis actibus pro-
vidâ circumspectione dirigitur, illis ex Præ-
latis & personis Ecclesiasticis, non immeritò
etiam in concessis per eam, declarationis adiecto benefi-
cio, speciales favores & gratiam impartitur, quos facti evi-
dentiâ iudicante, sibi devotos & obsequiosos fuisse & esse
cognoscit, ut tales ad eius beneplacita promptius in poste-
rum se coaptent, & alii eorum exemplo ad fideiiores
essendum propensius excitentur.

Exordium

Num. I. Dudum siquidem fel. recor. EUGENIO
Papæ IV. Prædecessori Nostro ad constantem Venerabi-
lis Fratris Nostri IOANNIS olim Episcopi Leodiensis, ac
aliorum Ecclesiasticorum Civitatis & Diocesis Leodiens-

*repetis te-
norem Con-
stitutionis
Eugenii
Papæ 4.
in ca. be-*

B b lis, quam

*beneficiorum
collationes*

sis, quam ad ipsum, & præfatam Sedem in arduis & periculosis casibus gesserant devotionem, quâ nimirum de ipso, & dicta Sede benemeriti extiterant, inter alia placuit, quod de dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus vel regularibus, cuiuscumque valoris & qualitatis forent, quovis modo, & ex quavis persona (exceptis infrascriptis reservationibus) in Civitate & Diocæsi Leodiensi ex tunc in antea vacare contingeret, ita disponeretur, videlicet, quod quæ in mensibus *Ianuarii, Martii, Maii, Iulii, Septembris & Novembris* ad collationem Sedis Apostolicæ, illa verò, quæ in reliquis, videlicet *Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris, & Decembris* mensibus vacarent, ad dispositionem Ordinariorum Collatorum Civitatis & Diocæsis prædictarum liberè pertineant.

Reservationses

II. Placuit quoque Prædecessori præfato nullas reservationes dignitatum, vel beneficiorum prædictorum generales vel speciales facere, neque factis tunc per se, vel Prædecessores suos: utri, exceptis reservationibus in corpore iuris clausis, & exceptis dignitatibus, & beneficiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, nec non Prothonotariorum, Sedis Apostolicæ Auditorum, literarum contradictarum Correctorum, Auditorum causarum Palatii Apostolici, & Auditorum Camerae Apostolicæ, necnon Clericorum eiusdem Camerae, Accolytorum, Cubiculariorum, Abbreviatorum ad numerum centum, Scriptorum grossæ ad numerum centum & unius, Scriptorum Pœnitentiariæ ad

num eo

merum viginti quatuor, nec non omnium verorum familiarium, continuorum commensalium suorum, & Cardinalium prædictorum, quamdiu vera familiaritas duraret.

III. Placuit præfato EUGENIO Prædecessori Nostro *Electiones.* electiones ad Ecclesiam Cathedralē & Monasteria, ac maiorem post Pontificalem, & principales in Collegiatis Ecclesiis dignitates electivas per tempus & tempora à iure statuta expectare, illasq; approbare, & confirmare, vel infirmare, prout iustitia & æquitas suaderent: nisi ex aliqua rationabili & evidenti causa in literis Apostolicis exprimens, aliter visum foret expedire: provisò etiam, quod confirmati, seu provisì per Sedem Apostolicam Ordinariis præstent debita iuramenta, & alia, ad quæ de iure & consuetudine tenentur.

IV. Dein cum super præmissis quædam dubia orta fuissent, idem Prædecessor per quasdam alias literas suas declaravit, illorum dumtaxat ex familiaribus prædictis beneficium intra Civitatem & Diocesim prædictas consistentia censi debere reservata, qui actu veraciter, & sine fraude sui & successorum suorum Romanorum Pontificum & Cardinalium huiusmodi pro tempore existentium familiares, continui commensales essent, & quod vera familiaritas huiusmodi censi deberet dumtaxat durare, quamdiu familiares ipsi veraciter actu & sine fraude suis & eorum servitiis realiter insisterent, suisq; & eorum expensis cum effectu viverent, & non aliàs quoquo modo: nec non quod *Sedis Apostolice familiarium interpretationem.* Scriptorum grossæ, & Scriptorum Pœnitentiariæ, ac suos

rum prædictorum Cubiculariorum beneficia sub hujusmodi reservatione includi deberent dumtaxat, quamdiu tales veraciter & actualiter existerent; & quod illis tales esse realiter desinentibus, reservationes beneficiorum ipsorum omninò cessarent.

*Nec non
Abbreviatorum.*

V. Voluit quoque, ac statuit & ordinavit, ex tunc & inanteà illorum dumtaxat Abbreviatorum beneficia, intra eandem Civitatem & Dioccesim consistentia, censeri debere reservata, qui de Civitate & Diocesi Leodiensi nativi essent, etiam si illi multò pauciores numero centena existerent, prout in eisdem literis, quarum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum inserti forent, haberi volumus pro expressis, plenius continetur.

*Premissa
confirmat
& ampliat.*

VI. Nos igitur fidelitati & constantiæ Episcopi & aliorum dictarum Civitatis & Diocesis collatorum non ignari, cupientesq; dilecto filio LUDOVICO electo Leodiensi, eiusq; successoribus & collatoribus antedictis materiam dare, ut in similibus casibus Nostri eis ob huiusmodi devotionem collati beneficii memores, studeant dictæ Sedis firmâ semper devotione parere, motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate eidem LUDOVICO electo, aliisque Ecclesiarum Prælatibus, & Monasteriorum, ac aliorum Religiosorum locorum quorumlibet, eorumq; Capitulis, Conventibus, Canonicis & personis Ecclesiasticis, & aliis quibuscumque, ad quos Maioris, & aliarum Civitatis & Diocesis prædictarum Ecclesiarum Canonicatum, Præbendarum, dignitatum, personatum, administrationum

& of

& officiorum, & aliorum quorumvis Ecclesiasticorum beneficiorum, sæcularium vel regularium, in eadem Civitate & Diœcesi consistentium, cujuscumque qualitatis & valoris annui fuerint, collatio, provifio, præfentatio, electio, feu quævis alia difpofitio communiter, vel dififim pertinet, eorumq; fuffefforibus pro tempore exiftentibus, auctoritate Apoftolicâ, & ex certa fcientia, tenore præfentium concedimus, nec non ftatuimus & ordinamus, ut de eifdem Canonicatibus, & Præbendis, ac dignitatibus, perfonatibus, adminiftrationibus, officiis vel beneficiis, quæ de cætero perpetuis futuris temporibus in *Februarii, Aprilis, Junii, Augufti, Octobris, & Decembris* menfibus vacare contigerit (dumodò illa difpofitioni Apoftolicæ per modos reformationũ in eifdem *EUGENII* literis expreffarũ generaliter refervata non fint) etiã fi per fimiles alios modos refervata fuerint, plenè & liberè, ac fine impedimento vel contradictione quacũque, auctoritate fuâ ordinariâ difponere valeant, perinde, ac fi nullæ ab eadem Sede, vel Legatis ejus expectativæ gratiæ fpeciales, vel aliæ fimiles refervationes, & de fic refervatis mãdata, uniones quoque & fãctiones, incorporationes, fuppreffiones, approbationes, prærogativæ, antelationes, declarationes, aliaq; ad vacatura beneficia quomodolibet concessæ literæ, quæ ipfos quomodolibet impedire valerent, & quæ in *Februarii* & aliis quinque alternativis menfibus fupradictis, quibufvis in eis derogatoriis contentis claufulis non obftantibus, fibi locũ vendicare volumus, pro tempore quomodolibet emanaffent.

*Forumq.
vigore col-
lationes ab
Ordinariis
factas ap-
probat &
confirmat.*

VII. Et quia certiores facti sumus, quod iidem Collatores post emanationem literarum EUGENII Prædecessoris huiusmodi, earum vigore suis collationibus in eisdem *Februarii* & aliis alternativis mensibus bonâ fide usi fuerunt, Nos ad litium, quæ exinde inter provisos ab eis, & quosvis alios subortæ sunt, vel de cætero roborari possent, succidendos anfractus, volumus singulos per Ordinarios supradictos in eisdem *Februarii*, & aliis alternativis mensibus de dictis Canonicatibus, Præbendis, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, ad eorum collationem, provisionem, electionem, seu quamvis dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus, aliàs rite factas collationes & provisiones, aut ad alias præsentationes, vel electiones, seu alias dispositiones quascumque, & quælibet inde secuta, dummodò illa per modos superiùs exceptos generaliter dispositioni Apostolicæ reservata non fuerint, ita ratas & firmas remanere debere, & earum vigore Canonicatum, Præbendarum, dignitatum, personatum, officiorum, & aliorum beneficiorum huiusmodi possessores, contra quos etiam lites inchoatæ sunt, dummodò ad conclusionem processum in causa exclusivè non extiterit, super eisdem Canonicatibus, Præbendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, beneficiis de cætero per quemcumque, etiam quarumvis Apostolicarum commissionum obtentu molestari non possint; quas nihilominùs omnes & singulas collationes, provisiones, præsentationes, electiones, & alias dispositiones Nos, si & in quantum opus

opus sit, eorundem Canonicatum, Præbendarum, dignitatum, personatum, officiorum, & beneficiorum qualitates & veros valores annuos pro expressis habentes, ratificamus, revalidamus, & approbamus, ac plenum robur obtinere decernimus. Nec non omnes & singulas lites huiusmodi coram quibuscumque Iudicibus seu Auditoribus, & ex quibuscumque commissionibus pendeant, illarum status pro expressis habentes, & eas ad Nos harum serie advocantes, motu, auctoritate, & scientia supradictis penitus extinguimus, nec non adversariis eorundem perpetuum silentium imponimus per præsentis.

VIII. Et insuper pariformiter placet Nobis, & de cætero intendimus electiones ad Cathedralē Ecclesiam, & maiorem in dicta Ecclesia Cathedrali post Pontificalem, nec non principales in Collegiatis Ecclesiis dignitates, ad quas personæ consueverunt per electionem assumi, per tempus & tempora à iura statuta expectare, illasq; approbare, & confirmare, vel infirmare, prout iustitia & æquitas suadebunt, nisi forsan Ecclesia cathedralis per translationem, ac Monasteria, & dignitates ipsæ per promotionem ad aliorum Monasteriorum regimina, vel affecutionem aliarum dignitatum, seu beneficiorum Ecclesiasticorum auctoritate Apostolicâ faciendam vacarent, aut illa ex modis reservationum prædictarum aliàs reservata forent, seu ex aliqua alia rationabili & evidenti causa in literis Apostolicis exprimenda, Nobis & Sedi Apostolicæ præfatæ aliter visum fuerit expedire. Volentes quod confirmati, seu provisi per Sedem Apostolicam, Ordinariis præstent.

Electiones ad Episcopatum, aliasq; dignitates maiores à Sede Apostolica confirmandas decernit.

stent debita juramenta, & alia ad quæ de jure & consuetudine tenentur.

*Beneficia
duas ar-
genti mar-
chas non
excedentia
in omni
mense Or-
dinaris re-
servat.*

IX. Volumus insuper, quod nulli Canonicatus, Præbendæ, dignitates, personatus, officia, aut alia beneficia Ecclesiastica Civitatis & Diocesis prædictarum, cujuscumque qualitatibus fuerint (quæ saltem duas marchas argenti secundum communem æstimationem non valeant annuatim) sub quibuscumque expectativis gratis, quibuscumque personis per Sedem prædictam, vel ejus Legatos sub quavis verborum forma pro tempore concessis, quomodolibet comprehendantur, nec possint prætextu gratiarum hujusmodi acceptationes, & provisiones per quemquam fieri de iisdem, sed Ordinarii, seu illi ad quos illorum spectat collatio, provisio, seu quavis alia dispositio, liberè de illis disponere valeant, etiam in quocumque mense vacaverint.

*Decretum
scribitur.*


X. Decernentes, quod præsentibus Nostri concessionis, statuto, ordinationi, voluntati, decreto, & literis per quascumque alias Constitutiones, Regulas Cancellariæ, aut literas Apostolicas quorumcumque tenorum, & quascumque in se derogatorias clausulas continentes, etiam eisdem præsentibus, cum illarum de verbo ad verbum infertione, specificè & expressè derogantes non derogetur, nec quomodolibet derogatum censeatur: nisi tunc demùm, cum Romanus Pontifex per trinas literas præsentium seriè continentes, eisdem collatoribus significandum duxerit, suæ mentis esse, pro ea vice dumtaxat concessionis, statuto, ordinationi, & declarationi hujusmodi derogare: nec non ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam

quòquàm quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter cono-
tigerit attentari.

XI. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus Delegatis
consecra-
rum.
& ordinationibus Apostolicis, atque Nostreis, etiamsi de
illis de verbo ad verbum mentio facienda esset.

XII. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc pagi- Sancti pæ-
nalis.
nam Nostrorum concessionis, statuti, ordinationis, ratifi-
cationis, revalidationis, approbationis, decreti, extinctio-
nis, impositionis, intentionis, constitutionis & voluntatis
infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autè hoc
attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis
Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se no-
verit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam
Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo qua-
dringentesimo quinquagesimo octavo, tertio decimo Ka-
len. Februarii, Pontificatus Nostri anno primo.

§. 16. Insuper eadem confirmavit & approbavit *Sixtus IV.* E. dem
Sixtus Pa-
pa 4 atque
Maximi-
lianus &
Carolus 5.
Imperato-
res proba-
vere.
Pontifex Maximus anno 1479. nec non corroboravere *Maxi-
milianus & Carolus V.* Imperatores specialibus diplomatibus
suis, quorum posterius hîc pariter pro Lectoris notitia adji-
cere vitium fuit.



AROLUS V. Divinâ favente
Clementiâ electus Romanorum Imper-
rator semper Augustus, ac Rex Ger-
maniæ, Castellæ, Arragoniæ, Legionis,
C c utriusque

utriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariae, Dalmatia, Croatia, Navarra, Granata, Toleti, Valentia, Galliciae, Maioricarum, Hispalis, Sardiniae, Cordubae, Corsicae, Murtiae, Giennis, Algerbii, Algezirae, Gibraltaris, ac Insularum Balearium, Insularum Canariae, & Indiarum, ac terrae firmae, Maris Oceani &c. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Lotharingiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniole, Limburgiae, Luxemburgiae, Geldriae, Calabriae, Athenarum, Neopatriae, Wirtembergae &c. Comes Flandriae, Habsburgi, Tyrolis, Barchinonae, Arthois, & Burgundiae, Comes Palatinus, Hannoniae, Hollandiae, Zelandiae, Ferretis, Kyburgi, Namurci, Rosilionis, Cerithaniae, & Zutphaniae; Lantgravius Alsaciae, Marchio Burgoviae, Oristani, Getziani, & Sacri Romani Imperii: Princeps Sueviae, Cathaloniae, Austuriae &c. Dominus Frisiae, Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis, Biscaya, Molinae, Salinarum, Tripolis, &

Exordium. Mechliniae. Decet Imperialem Majestatem Principes & subditos Nobis ac Sacro Romano Imperio fideles devotos, in suis juribus, privilegiis, & libertatibus nedum conferre

conservare, & manutene-
re, verum etiam novis præroga-
tarum beneficiis, & Cæsareæ munificentia gratificatione
confovere & latius adaugere.

Num. I. Itaque privilegia Venerabili *Erardo* Episcopo Leodiensi, Principi & Consiliario Nostro devoto dilecto, suisque Successoribus, Ecclesieque, & patrie Leodiensi, ac universis & singulis illius subditis a quo. Divae memoriae Avo & Antecessore Nostro MAXIMILIANO ad perpetuam rei memoriam concessa, ut non possint dicti subditi in quacumque causa in prima instantia extra dictam patriam evocari, aut ad aliud Tribunal, præterquam Ordinarium & sui domicilii trahi, & seu in corpore, rebus, vel bonis arrestari, repressaliaque; & impignorationes contra ipsos concedi; utque nullae appellationes à quibusvis sententiis Iudicum, seu Iusticiarum majorum vel inferiorum, censualium, feudali-um, seu allodialium, aut aliarum quarumcumque dictae Patriae ad Nos, aut Successores Nostros Romanorum Reges & Imperatores, eorumve Consistorium seu Cameram Imperialem, aut alios Commissarios datos vel dandos interponi, devolvi, seu prosequi, aut per viam supplicationis, vel querelae, seu aliàs quomodolibet introduci, nisi primum & gradatim tales appellationes ad Consilium Episcopi pro tempore existentis fuerint devolutae, introductae, ac definitae & decisae: à quo Consilio non liceat ulterius appellare, nisi in certis casibus & actionibus taxam determinatam excedentibus, ac mediantibus certis solemnitatibus in dictis privilegiis latius expressis, quae in originalibus suis formis ad plenum vidimus, palpavimus, atque certam & indubitam

Hic Caesar
approbat
privilegia
Leodiensium.

tatam illorum scientiam habemus, aliaq; omnia & singula privilegia, indulta, gratias, Franchisias, libertates, donationes, confirmationes, approbationes, concessiones, sententias, diffinitiones, statuta, mores, usus, & consuetudines legitimè & rationabiliter institutas, & instituta, nec non quascunque possessiones, dominia & bona, jura, jurisdictiones, meriq; & mixti Imperii, ac publicæ potestatis functiones, quorum omnium tenores, nomina & cognomina, perinde ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta forent, ac pro insertis & specialiter expressis habemus, & haberi volumus à Divis retrò Imperatoribus, & Romanorum Regibus Prædecessoribus Nostri, seu aliorum Regum & Principum largitione, seu fidelium quorumcumque oblatione, aut munificentia, Episcopis, Ecclesiæ, Civitati, Oppidisq; & aliis locis dictæ patriæ Leodiensis, illorumve subditis & incolis conjunctim & divisim, generaliter vel specialiter usque ad hæc tempora quomodolibet concessa seu indulta, & quæ aliàs in præsentiarum justè obtinetis, seu vos, vel successores vestri legitimè obtinebunt; & specialiter privilegia alternativæ collationis beneficiorum quorumlibet in Ordinariis, etiam minorum & taxam duarum marcharum argenti puri non excedentium in Apostolicis mensibus vacantium, à Sanctissimis quondam EUGENIO, PIO, SIXTO, & aliis Romanis Pontificibus præfata Leodiensi Ecclesiæ rationabiliter concessa, & confirmata, mandatumq; pœnale prædictorum privilegiorum, ac Germaniæ Nationis pactorum manutenentia ac conservatione, à dicto quondam Avo Antecessore Nostro emanatum.

natum, ratas & gratas, rataq; & grata habentes, firmaq; & illibata permanere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, & auctoritate Nostrâ Romanâ Cæsareâ, ac de eius plenitudine potestatis, aliasq; omnibus modis & viis, quibus efficacius possumus, confirmavimus, laudavimus, approbavimus, & renovavimus, ac de novo quatenus opus est, concessimus, dedimus, indulgimus, restituimus, & reintegravimus, prout etiam tenore præsentium confirmavimus, laudamus, approbamus, renovamus, atque de novo concedimus, damus, indulgemus, restituimus & reintegramus, nec non omnibus & singulis in eisdem privilegiis, & eorundem tenoribus concessis, perpetuam Imperialis roboris firmitatem adiicimus, motu, scientia, auctoritate & potestate quibus suprâ, omnem defectum tam iuris, quam facti, si forsan intervenisset, supplentes, præfatamq; Ecclesiam, & illius membra, atque supposita in dictis Eugenii, Pii & Sixti, quam aliorum Romanorum Pontificum privilegiis comprehensa, eorundem beneficio perpetuò gaudere, inq; eorundem possessione & usu illæsa conservari & manteneri. Et eorum vigore in mensibus Ordinariis, seu Apostolicis provisos, pro legitimis possessoribus recognosci, eisq; de fructibus & proventibus universis beneficiorum huiusmodi responderi, provisionibus, gratiis, reservationibus, nominationibus, & nominandi facultatibus quibuscumque Collegiis, Universitatibus, aut personis ad Nostrî ipsius instantiam quomodolibet factis aut concessis, etiam per placitum Nostrum approbatis, & receptis, aliisq; in contrarium facientibus non obstantibus

quibuscumque, prout illas in præiudicium Ecclesiæ & privilegiorum antedictorum nullatenus obstare; quin imò pœnis in prætacto Antecessoris Nostri mandato in contrahentes quoslibet comminatis & fulminatis locum esse, illasq; executioni debitæ iuxta eiusdem tenorem ac continentiam, & aliàs cum omni rigore demandari volumus, & declaramus.

*Et ampli-
as.*

II. Et ulterius cupientes dicto Episcopo, Ecclesiæ, & Patriæ Leodiensi, ob constantem illorum in Nos & Sacrum Imperium devotionem, ac bene merita, gratiam facere uberiorem, taxam sexingentorum florenorum aureorum in bonis realibus & immobilibus, & trecentorum florenorum consimilium in personalibus & mobilibus, in prætacto Antecessoris Nostri privilegio præfinitam, præfenti Nostrâ in perpetuum duraturâ Constitutione duplicamus, & ad mille ducentos & sexingentos florenos auri respectivè reducimus & ampliamus.

*Modus sta-
cutur in
appellatio-
nibus.*

III. Itaque non liceat de cætero à sententiis præfati Consilii summam, sive taxam mille ducentorum florenorum auri in bonis realibus & immobilibus, aut sexingentorum in personalibus & mobilibus actionibus non excedentibus appellare, vel supplicare, aut aliàs illis quomodo libet contravenire; cæteris in dictis privilegiis contentis clausulis, decretis, atque capitulis, in suo robore permanentibus; volentes & præfenti Nostro Edicto Cæsareo decernentes, citationes, evocationes, arrestationes, repressalias, aut impignorationes quâcumque auctoritate etiam Cæsareâ Nostrâ, aut Antecessorum Nostrorum, seu Successo-
rum,

rum, etiam vigore quarumcumque rescriptionū, seu commissionum generalium vel specialium, contra subditos & incolas antedictos quomodolibet factas vel in posterum faciendas, appellationesq; , provocationes, recursus, supplicationes, rescripta & commissiones, processusq; , inhibitiones, citationes, & acta ubilibet, etiam coram Imperiali Consistorio, aut alio quolibet Superiore in præiudicium præactorum privilegiorum & indultorum, & à tempore datæ eorundem quomodolibet factas, interpositas, concessas, emanatas & introductas, & in posterum faciendas, interponendas, concedendas, cum omnibus & singulis suis exinde subsequutis & subsequuturis, nulla, cassa & irrita fore, prout tenore præsentium auctoritate Nostrâ Cæsareâ ex nunc, prout ex tunc, & è contra ad Nos advocamus, & omninò annullamus, cassamus, irritamus, ac prorsus abolemus & extinguimus, dictumq; Consilium, seu illius membra, aliosq; subditos & incolas antedictos ad præmissa, & eorum alicui parendum, sive obtemperandum nullatenus teneri, sed illis impunè contravenire, & dictorum privilegiorum beneficio gaudere, illaq; & sententias, ac decreta eorundem vigore lata vel ferenda, omnibus modis, viis & formis melioribus, ad instar Consistorii Nostri Imperialis, seu aliàs quomodolibet executioni debitæ demandari posse, ac debere declaramus, non obstantibus, quæ dictus Prædecessor Noster in præactis privilegiorum rescriptis voluit non obstare: aut si aliqua iustitiæ patriæ prædictæ ad aliud capitale iudicium extra dictam patriam provocare

vocare consueverunt, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

*Decretum
p. 111. e.*

IV. Nulli ergo omnino hominum ubilibet sub sacro Romano Imperio, aut Nostra ditione, seu districtu constitutorum, cujuscumque status, gradus, vel conditionis extiterint, liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, innovationis, concessionis, ampliationis, decreti, declarationis, mandati, voluntatis, ac gratiae infringere, aut ei quomodolibet contravenire. Si quis autem id attentare praesumpserit, praeter & ultra nullitatem actus, poenasque in dictis privilegiis & mandato contentas, Nostram & Imperii sacri indignationem gravissimam, ac poenam quinquaginta marcharum auri puri, usibus in dictis privilegiis destinatis, & extra casus eorundem privilegiorum, erario Nostrae applicandam, toties quoties ipso facto incurrat. Mandantes omnibus & singulis Principibus, Ballivis, Ammannis, & locorum officii ubilibet constitutis, Nobis & Sacro Imperio subiectis, quatenus praetactas poenas ad usum destinatum, & a contraventoribus irremissibiliter exigant, exequantur, tam per apprehensionem & arrestationem corporum, ac bonorum eorundem, quam aliis modis & viis opportunis quibuscumque, nec prius a dicta apprehensione seu arresto manum levent, donec contraventores huiusmodi praefatam poenam, sicut praemittitur, applicandam ad aerarium dicti Consilii, & in casu contraventionis supradicti mandati, Nobis aut fisco Nostrae integraliter persolverint, & attentata quaelibet in praerudicium praetactorum indultorum & mandati revocaverint, dictarumque apprehensionum seu

num seu attentatorum absolutionem, & relaxationem ab eodem Consilio, seu Nobis obtinuerint, cui etiam Consilio liceat contra communitates loci, seu domicilii huius, modi contraventorum, quatenus modo præmissis, seu alio quovis modo constringi nequeant, & Dominus temporalis, & Magistratus, seu is qui iurisdictioni illius loci præest, desuper ab eodem Consilio & illius auctoritate requisitus in executione dictæ pœnæ negligens, aut remissus extiterit, repressalias concedere & concedi mandare, ac fiscum & exactorem prædictæ pœnæ tam Nostro, quam Episcopi pro tempore nominibus deputare, & ordinare, eumq; toties quoties revocare, & alium in eius locum surrogare harum testimonio literarum sigilli Nostri appensione munitarum. Datum in Oppido Nostro Gandavo, die vigesima septima mensis Iulii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, Regnorum Nostrorum Romani tertio, aliorum verò omnium sexto. sic signatum de manu Cæsareæ Maiestatis sub plica *Carolus.* & retrò supra plicam, *Ad mandatum Cæs. S. Maiestatis proprium.*

A. a. Mart. R.

Dd

DVBI-

DVBIVM II.

An Concordatis Germaniæ opponi queat exceptio non acceptationis, aut non usus, præscriptionis, vel contrariæ consuetudinis?

Argumentum vulgare.

N Vllum hoc tempore apud eos, qui Germaniæ Concordatis contravenire, & Apostolicas eorum vigore factas provisiones excludere præsumunt, vulgarij, aut frequentius est argumentum, quàm quod eadem Concordata non sint usu recepta, aut contrariâ consuetudine, ac præscriptione sint abolita: idcirco operæ pretium existimavi, hæc nonnihil fusiùs deducere.

Contra Concordata Germaniæ excipi non potest de non usu, vel non acceptatione.

S. 2. *Respondeo itaque Concordata Germaniæ, uti præcedenti dubio demonstravi, si eorum ab initio initorum solemnitates, & rationes expendamus, haud dubiè in plerisque Imperij, & Nationis Germaniæ ditionibus recepta fuisse, & esse, & proinde servari debere; adeò ut contra eadem frustra excipiatut per non usum, seu non acceptationem, uti præcedenti dub. ostensum est; nam cum Concordata sortiantur vim pacti & contractus, sintq; quædam lex lata communi concordia Papæ & Imperatoris, aliorumq; Principum Ecclesiasticorum & sæcularium Nationis Germanicæ, s. penult. C. de donat. inter vir. & uxor. Paulus Paris. consil. 11. num. 56. vol. 1. Rebuff. ad Concord. Gallia in rubric. de collation. in princip. præfat. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 25. num. 2. & gloss. 26. num. 5. Cherubin. in compend. Bullarii tom. 2. ad Constitut. Gregorii XII. 41. Schol. 1. Gail lib. 2. observat 127. num. 8. Idq; pro pace, unione & tranquillitate inter Ecclesiam Romanam & Principes tam Ecclesiasticos, quàm sæculares dictæ Nationis Germanicæ perpetuò solidandis, Gonzalez gloss. 25. num. 10. ab omnibus omnino servanda sunt, Branden super*

per Concord. German. quest. 2. 3. 4. & 5. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 28. num. 11. Chokier ad eand. reg. 8. gloss. 11. num. 12. Rota apud Crescen. decis. 2. de privileg. Mohedan. decis. 23. num. 4. de praben. Puteum decis. 45. num. 1. 2. & 3. lib. 1. & in recent. part. 2. decis. 380. num. 1. præsertim dum sunt tam favorabilia, rem beneficiariam proximè ad jus commune reducuntia, Gonzalez cit. gloss. 25. num. 9. Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 11. & potius sint quædam privilegia & indulta, quàm pacta, uti *dub. sequenti* dicemus. Ideoq; semper Concordatorum observantia præsumitur, & contrarium alleganti incumbit probatio, Rebuff ad Concord. Galliæ. §. præfatiq; ordinarii. vers. post præsentium acceptationem. Gonzalez ad regulam 8. gloss. 27. num. 53. Cherubin. supr. à Schol. 2. cum alioquin si fidem non servent facientes Concordata cum Sede Apostolica, non sit illis fides servanda; nam Concordata sunt individua & correspectiva, c. per venit. 3. de iureiur. Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 24.

§. 3. Unde consequens est, quod Concordatis Germaniæ, nec præscriptione, aut contrariâ consuetudine, vel non usu quidquam detrahi possit, aut derogari; quia in primis, ut non minus doctè, quàm eleganter discurret Leoninus consil. 50. post Branden ad Concord. quest. 2. præscriptio non procedit, ubi deest bona fides, Rota decis. 197. num. 6. & decis. 221. num. 7. part. 1. recent. uti in casu præsentis, ex adjecto in ipso Concordatorum textu Decreto irritante: *Et insuper quoque irritum & inane, si secus his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum &c.* Sed de hoc latius infrà §. 9. Tum quia ob universalem usum & observantiam Concordatorum, in qua constat Universitatem Germanicæ Nationis existere, particularis præscriptionis effectus locum non habet; nam in his, quæ sub universitate ejusdem juris continentur, per possessionem unius, possessionem alterius retinemus l. 1. §. veteres. ff. de acquir. possess. Et cum totum includat quamlibet partem suam, usus universalis Concordatorum impedit particularem præscriptionem, ex vi inseparabilis connexitatis, seu identitatis, quam habent inter se partes & totum; in individuis enim & connexis, quod uni com-

Concordata non possunt præscriptione, vel contrariâ consuetudine elidî.

petit, ad alios extenditur, *l. unica. C. si in communi eademq; causa.* Quin, prout subjungit idem *Leoninus loc. cit.* cessat omnis dubitatio, si attendamus Concordata Germaniæ juris publici causam continere, ac eum universitate Nationis Germanicæ pro publica pace & unione esse inita, conclusa, acceptata & approbata, atque efficax jus ex illis universitati Imperii acquisitum esse: indubitata autem Regula est, jus publicæ utilitatis, subditorum vel privatorum pactis nec mutari, nec tolli posse: ita nec præscriptione, vel consuetudine; adeò quod particulares, nec expressè consentiendo in derogationem Concordatorum, nec tacitè per non usum sese à nexu & vinculo Concordatorum exuere possint; sicuti nec Clerici expressè vel tacitè fori privilegium à se abdicare possunt, quoniam hoc universitatis Clericorum commune est, ita *Leoninus supra.*

Nec potest dari de no usu contra Pontificias reservationes, & Concordata.

§. 4. Ad hæc planum est, quod contra Pontificias reservationes tam Regularum Cancellariæ Apostolicæ, præsertim IX. quam Concordatorum Germaniæ, quæ, utpotè pacis & tranquillitatis vincula; arctissimè ligant, nulla admittatur præscriptio, aut consuetudo contraria, vel non ulus etiam immemorialis, *Branden ad Concord. quest. 2. 3. 4. & 5. Gonzalez ad reg. 8. in divis. regule sub n. 9. & gloss. 35. n. 21. & seq. Piafec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 2. post num. 8. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 558. & 678. Chokier ad eand. reg. 8. in princ. n. 19. & gloss. 1. num. 5. sub fin. ac gloss. 8. num. 3. & gloss. 11. num. 12. Rota in recent. part. 1. decis. 58. num. 7. & decis. 88. num. 5. & apud Gregor. XV. decis. 153. sub num. 3. & 4. & in addit. sub num. 7.* Tum quia Papa reservando generaliter, derogat omnibus juribus, statutis, seu consuetudinibus contrariis, & tollit omnem potestatem conferendi, *Garcias supra num. 558. Chokier ad reg. 8. gloss. 1. num. 5. sub fin.*

Quod probatur ulterius.

§. 5. Tum, ex quo Concordata Germaniæ sint indulta, & respectivè ordinationes, seu leges quædam quasi perpetuæ utilitatis causâ in alterum lata, summam Reipublicæ felicitatem continententes, & sine quibus veteres Romani Pontifices existimarunt. decus Christianæ Religionis, pacis & tranquillitatis.

litatis publicæ sustineri & conservari non posse, ut loquitur *Leonius dicto consil. 50.* communi Papæ, Cæsaris, Principumq; Germaniæ beneplacito factæ, & Pontificiâ auctoritate stabilitæ, *Paris. Rebuff. Gonzalez & Cherubinus supra §. 2. allegati* constat easdem pariter citra illorum expressum consensum, præsertim Summi Pontificis, per nullam contrariam consuetudinem, etiam longissimi temporis, posse elidi: indubitati siquidem juris est, quod contra Reservationes, Ordinationes, Constitutiones, & Leges Pontificias, atque Indulta Apostolica, dari nequeat de non usu, seu præscriptione, aut contraria consuetudine, sine certa & positiva scientia Papæ, & illius expresso consentu, & animo ad inducendam consuetudinem, *gloss. in §. leges abrogatæ. dist. 4. Archid. in c. cum de beneficio. 5. n. 2. circa med. vers. nam & ibi notat. de præben. in 6. ubi optimè dicit hunc casum esse expressum in c. consequens. ubi sic ait Pontifex, Consequens est, ut quod ab huius Sedis Rectoribus plenâ auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, proprias tantum sequendo voluntates, removeatur: sed firmiter atque inconcussè teneatur. & in c. nolite 11. dist. c. facta. 9. q. 3. c. illud. ac c. ridiculum. 12. dist. Ioan. Andreas in dicto c. cum de beneficio. post princip. de præben. in 6. Geminianus ibid. num. 6. & Francus n. 3. 4. & S. Antoninus in summa part. 1. tit. 16. cap. unico. §. 2. ante fin. vers. dicit autem Ioannes, Driedo lib. 1. de libertate Ecclesiast. cap. 11. sub fin. Ioan. de Salas de legibus quest. 97. tract. 14. disput. 19. sect. 6. num. 62. in fin. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 558. Chokier in comment. ad reg. 43. alias 44. num. 42. & 69. Diana resolut. moral. part. 6. tract. 5. resolut. 13. & part. 7. tract. 1. resolut. 28. num. 2. & seq. Ioannes Maria Novarius in Lucerna regularium verb. electio. num. 34. Idq; crebrioribus decisionibus firmavit Rota Romana apud Caput aquen. decis. 204. num. 2. part. 3. & tum in recent. part. 1. decis. 197. n. 3 & 4. decis. 213. num. 1 & 2. decis. 221. num. 4. 5. 6. & 7. item decis. 246. num. 1. quæ habentur etiam apud Cavalerium decis. 77. 85. 91. & III. tum in una Treviren. Abbatia S. Maximini die 24. Ianuarii 1625. coram bon. mem. Decano Coccino. num. 4. & seq. relata à nobis supra tit. 1. dub. 1. post §. 5. eaq; etiam refertur apud Tamburin tom. 3. de iure abbat. ubi est decisio 23. & apud Massobrium in praxi habendi*

D d. 3.

concurf.

concurf. ad parochial. præiud. s. num. 75. Idq; etiam confirmatum fuit in una Maioricens. Indultorum. 11. Aprilis 1639. coram R. P. D. Merlino. & in eadem. 16. Novembris 1640. coram R. P. D. Peutingero. quæ duæ decisiones referuntur à Diana sub finem. part. 6. resolut. moral. nec non in Messanensis Decanatus coram Reverendissimo Domino Dunozet Decano. 27. Mayj 1641. ut refert Diana part. 7. tract. 1. resolut. 28. num. 3.

Assignatur ratio.

§. 6. Ratio autem est, ut verbis Rotæ utar, quia Principes sæculares auctoritatem habent à populo & homine, & ideo eorum leges eatenus obligant, quatenus moribus utentium, qui auctoritatem contulerunt, approbentur, ut egregie explicat D. Thom. 1. 2. quæst. 97. art. 3. ad 3. Papa vero supremam suam in Ecclesia universali potestatem non à populo per electionem, sed immediatè à Christo accipit, ex vi primæ institutionis ac promissionis S. Petro factæ Matth. 16. vers. 18. & 19. Ioan. 21. vers. 15. 16. & 17. tex. in c. novit. 33. §. cum enim. de iudic. c. significasti. 4. de elect. c. ubi periculum. 3. §. ceterum. eod. tit. in 6. & c. ad Apostolica. 2. §. Nos itaque. de sent. & re iudic. eod. 6. Abb. in c. 1. num. 1. & 6. de translat. Episc. absque ulla dependentia à consensu subditorum, Layman Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 3. num. 1. & 2. ac proinde ipsius Leges & Constitutiones, ac Regulæ reservatoræ pro firmitate sua non indigent approbatione & consensu inferiorum, seu quod alii usu recipiendo illas admittant, sed mox, ut à Papa promulgatæ sunt, & innotuerint, etiam in singulis provinciis non sint publicatæ, vim obtinent & auctoritatem, & habentur pro effectivatis, & usu receptis, atque obligant inferiores ad illarum acceptationem & observantiam; Suarez de legibus lib. 4. cap. 15. num. 3. & seq. Pefantius in 1. 2. D. Thomæ quæst. 108. art. 4. disp. 5. Chokier in comment. in præm. regul. cancell. num. 20. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 62. Diana cit. part. 6. tract. 6. resolut. 39. & part. 7. tract. 1. resolut. 28. num. 1. nec possunt ab inferioribus abrogari per non usum, etiam mille annorum spatio, ut ex communi docet Iason. in l. quibus 33. n. 33. ff. de legib. Rota in præcitatis decisionibus, aut ullam contrariam consuetudinem, vel temporis præscriptionem, absque certa & positiva scientia, atque expresse con.

to consensu Summi Pontificis, uti loquitur Rota in *supraci-*
tatis Decisionibus.

§. 7. Neque enim sufficit tacitus consensus, quia Summus Pontifex interdum tacitè dissimulat, & ex quasi dissimulatione sive conniventia permittit aliquid, quod in se iniquum est, non tamen propterea in illud positivè consentit, nec permittit illud fieri absque peccato, sed ob vitandum maius malum, *c. cum iam dudum. 18. de praben.* ubi ait Pontifex, pluralitatem beneficiorum se dissimulare, non autem approbare, vel dispensare, & ibidem *textus* inquit, *multa per patientiam tolerantur, quæ deducta in iudicio, exigente iustitiâ, toleranda non essent.* Et exemplum est in lupanaribus, & usuris in foro externo impunè permissis, ad vitandum maius malum: cum ex duobus malis necessario impendentibus, melius est, id quod minus est, seligere, *c. duo mala. & ibi gloss. dist. 13.* Vnde Rota inter legem Canonicam & Civilem eam statuit differentiam, quod hæc tacito Principis consensu, non autem illa per contrariam consuetudinem possit abrogari, ex ratione supraposita.

Nec suffi-
cis tacitus
Papæ con-
sensus.

§. 8. Tantum autem abest, quod Pontifices Maximi, & Imperatores Augustissimi consuetudines Concordatis Germaniæ contrarias, seu collationes beneficiorum contra eorum formam factas approbarint, aut in illas consenserint, quin potius ab initio, & postea etiam successivis vicibus, ubi de his notitiam habuere, diversis Constitutionibus, Edictis & Diplomatum eas omninò improbarint, & contra ventores ad debitam eorundem observantiam, & usum pristinum, Decretis etiam poenalibus revocarint, ut patuit *suprà hoc tit. dub. 1. §. 4. & seq.* Vnde etiam per novissimas Capitulationes electionis Regiæ recol. mem. *Ferdinando IV.* in Regem Romanorum electo, anno 1653. propositas, idem *Ferdinandus* sese expressè obstrinxit, quod dicta Concordata inter summum Pontificem, & Nationem Germanicam inita manuteneret, & perpetuò atque inviolatè observari curaret, uti videre est *art. 16. prædictarum Capitulationum* sub finem historiae *D. Thuldemi* relatarum.

Nusquam
autè Pon-
tifices, aut
Cæsares
expressè
conse-
runt in
contrari-
um Con-
cordatis
usum.

§. 9. Insuper huc spectat clausula *Decreti irritantis* iisdem
Concor-

Quin &
contrari-
um usum
tollit clau-
sula De-
creti irri-
vantis.

Concordatis Nationis Germanicæ, & reservatoriæ Regulæ IX. formalibus verbis inserta, cuius tanta est potestas & efficacia in annullando quidquid fit in contrarium, ut enervet omnino vim quorumcumque actuum contrariorum subsequantium, & inobservantiæ eorundem Concordatorum; & penetrabilis est omni gladio ancipiti, Rota apud Mantuam decis. 76. n. 4. & impedit introductionem cuiuscumque consuetudinis contrariæ, Hoicda de benef. incompatib. part. 1. cap. 10. num. 5. & seq. imò instar fulguris, uti ait Gonzalez ad reg. 8. gloss. 67. num. 14. quidquid invenit in oppositum, destruit, ut nec iuris effectum, aut fomentum habeat; adeoq; in beneficialibus causis ipso iure inficit nedum titulum, sed & possessionem provisi, ut ne quidem colorem tribuat in iudicio possessorio summarissimo manutentionis; sed etiam afficiat ignorantes. c. tibi qui. 12. §. quin imò. & ibi gloss. de rescript. c. si eo tempore. 45. de elect. c. dudum. 14. de praben. & c. 1. §. adijciebatur. de concess. praben. in 6. Felin. in c. cum accessissent. n. 30. vers. quarto limita. de Constit. Rebuff. ad Concord. Gallie. tit. de firma & irrevocabili Concordatorum stabilitate. Branden ad Concord. German. quest. 2. num. 5. 6. & 7. & quest. 4. num. 22. Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 5. quest. 6. num. 220. & lib. 6. quest. 5. num. 57. & lib. 11. quest. 7. num. 25. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 67. per tot. Francis. Leo in thesau. fori Ecclesiast. part. 3. cap. 1. num. 33. & 34. VVames. in consil. canon. tom. 1. consil. 221. num. 4. consil. 223. n. 8. consil. 247. n. 21. consil. 249. num. 6. & 7. consil. 252. num. 3. 5. & 10. consil. 255. num. 20. & consil. 256. num. 14. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 9. num. 407. & seq. Chokier ad reg. 1. cancell. num. 14. & seq. & ad reg. 8. gloss. 1. num. 7. 8. & seq. & ad preces primar. §. 2. sect. 5. lit. M. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 138. Diana resolut. moral. part. 7. trac. 1. resolut. 28. num. 7. Rota decis. 3. alias 294. de privileg. in antiq. & decis. 3. alias 16. num. 1. de restit. spoliat. in nov. & decis. 22. num. 5. & decis. 149. num. 2. part. 1. diversor. & apud Cassador. decis. 1. num. 7. de restit. spoliat. & decis. 11. & 12. num. 5. ad regulas Cancell. & apud Mantuam decis. 76. num. 5. & apud Gregor. XV. decis. 153. num. 4. & 5. atque in recent. decis. 41. num. 9. decis. 613. num. 7. part. 1. & part. 2. decis. 142. num. 4. ubi dic-
citur

citur Decretum irritans habere oculos retrò, ut operetur nullitatem ab initio Item *decis. 710. num. 6 & decis. 740. num. 1. ead. par. 2. recent & apud Coccin. inter impress. decis. 51. num. 2 & seq. ac latè in adductis decisionibus suprâ hoc tit. & dub. §. 5.*

§. 10. Adèò ut ex hac clautula Decreti irritantis, contra formam Concordatorum per qualemcumque Ordinarium provifus, in possessionem inductus, si spoliatur, non possit obtinere in interdicto recuperandæ possessionis, quia exceptio reservationis Papalis firmata Decreto irritante, ab initio inficit proprietatem, & possessionem, tollitq; omnem quasi possessionem conferendi; ita ut ne coloratum quidem titulum pro sustinenda possessione in contrarium acquiri patiatur. *Rota & DD. supracitati.*

Inficitq; omnem possessionem.

§. 11. Pro certo ergò tenendum est, per contraventionem, aut præscriptionem, vel non usum, etiam longissimi temporis, Concordatis minimè derogari, ex Decisionibus Rotalibus, & Doctorum auctoritatibus *suprà* adductis. Nam quando de Superioris intentione constat, tunc inferioris contraventio nihil operatur, *c. dilecto 25. de præben. & ibi gloss. in verb. huiusmodi clausula. Gail. observat. 60. num. 12. lib. 2. Rota suprâ in una Maioriten. Indultorum. die 16. Novembris 1640. coram R. P. D. Pessingero. præsertim dum derogat cuicumque consuetudini seu tolerantia contrariæ, sicut in sequenti Constitutione Clementis Papæ VII. lex enim Canonica reprobans contrariam consuetudinem, non tollitur non receptione, sed debet recipi & servari, Garcias de benef. part. 3. c. 2. num. 558. & part. 11. cap. 5. num. 115. Et meritò, quippe si ea foret vis contraventionis, non receptionis, aut non usus, profectò nullus Canon, Lex, aut Constitutio Apostolica observaretur; siquidem facile est in qualibet Civitate, nedum provincia contra qualcumque Ecclesiasticas leges invenire actus contrarios. *Branden ad Concord. quæst. 4. num. 33. sunt enim, iuxta Apostolum Paulum, multi etiam inobedientes. Hinc & ab integritate Germanica alienum censet Brandend. quæst. 4. n. 42. Concordatis suis tantâ solemnitate stipulatis, opponere non usum.**

Es sic per nullam contraventionem, præscriptionem, aut non usum Concordatis derogatur.

Ad Titum et v. 10.

§. 12. Huc præterea accedit Constitutio Clementis Papæ VII.

Ec

VII.

VII. quâ motu proprio & de Apostolicæ potestatis plenitudine declaravit quascumque collationes contra formam Concordatorum factas, & impostero faciendas, irritas & inanes, nullum titulū, vel colorem ipsa beneficia possidentibus tribuisse, aut in futurum tribuere, sed illos pro malæ fidei possessoribus, & merè intrusis ab omnibus habendos & centendos, ac fructus per eos perceptos & percipiendos, nullo unquâ tempore suos facere, sed ad illorum restitutionem in utroque foro efficaciter obligatos esse &c. cuius Constitutionis tenor sequitur.



CLEMENS PAPA VII.

Concordatum



AD futuram rei memoriam. Admonet Nos incumbentis Nobis Pastoralis officii cura, ut non solum Nobis, sed etiam cunctorum Christi fidelium, & præsertim Ecclesiasticarum personarum profectibus diligenter intenti, illorum occurramus dispendiis, & quæ in cuiusque ipsorum præiudicium sive noxam, quâvis etiam auctoritate prodiisse comperimus, salubriter reformemus.

*Clemens
Papa 7.
Constit. 4.
Bullarii
tom. 3.*

*Prælati &
principes
usurpa-
bant dis-
positiones
beneficio-
rum con-
tra for-
mam Con-
cordato-
rum.*

Num. I. Sanè dudum ad Nostram pervenit notiti-
am, qualiter nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, ac Eccle-
siarum Prælati, nonnulli etiam Principes, & Domini tem-
porales inclytæ Nationis Germanicæ, post miserabilem
Vrbis direptionem, collationes & dispositiones beneficio-
rum Ecclesiasticorum, Nobis & Sedi Apostolicæ, etiam
virtute Concordatorum inter Sedem & Nationem præfa-
tas reservatorum, temerè usurpare præsumperunt, ac colo-
latios

lationes & dispositiones Nostras, & dictæ Sedis de illis factas admittere contempserunt, nedum in Nostrum & ipsius Sedis vilipendium, sed etiam iurium Nostrorum, & eiusdem Sedis, ac illorum, quibus de ipsis beneficiis providimus, aut in quorum favorem aliàs disposuimus, seu provideri & disponi mandavimus, grave præiudicium. Et quamvis contra præsumptores & contemptores huiusmodi, in Bulla quæ quotannis in die Cœnæ Domini de more lecta fuit, declaraverimus, & protestati fuerimus, quod in præmissis, & aliis quibuscumque iuribus dictæ Sedi, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ undecunque, & quomocumque quæsis, seu quærendis, per quoscumque actus contrarios, aut quomodolibet præiudicantes, tacitos vel expressos, à Nobis, vel ab eadem Sede quomodolibet factos, vel faciendos, aut quemcumque temporis fluxum, vel patientiam, vel tolerantiam Nostram, Nobis aut eidem Sedi nullatenus præiudicari debere, aut quomodolibet posse: tamen, sicut non sine animi Nostri mærore intelleximus. nonnulli ex Archiepiscopis, Episcopis, Prælati, Principibus, & Dominis prædictis, adhuc à præmissis desistere non curarunt, nec de præsentibus curant: quin imò, quod deterius est, ne provisiones Apostolicæ admittantur, per sua mandata etiam pœnalia prohibere non verentur, in animarum suarum grave periculum, & aliorum Prælatorum, ac Principum Catholicorum dictæ Nationis perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum.

II. Nos igitur, qui à dictis CONCORDATIS, quæ ^{Idèd hic Pontifex collationes} olim à Romanæ Ecclesiæ, & dictæ Nationis hominibus,

Ec 2

pro

*Beneficio-
rum factas
contra for-
mam di-
ctorum
Concorda-
torum ir-
ritas, &
provisis
aut male
fidei pos-
sessori ad
fructuum
restitu-
tionem ten-
eri deser-
vatis.*

pro ipsius Ecclesiæ unione, ac pace, & tranquillitate inter Ecclesiam & Nationem prædictas perpetuò solidandis & conservandis laudata, conclusa, & acceptata fuerunt, nulla tenus recedere intendimus, ne dicti præsumptores & contemptores, aut per eos in dictis beneficiis intrusi, ex huiusmodi temeraria præsumptione gloriari valeant, neve ipsi intrusi ex adulterinis eorum titulis aliquem fructum reportent, nec illis, quibus de beneficiis prædictis per Nos aut dictam Sedem, seu eius auctoritate provisum extitit, & in futurum providebitur, per alicuius temporis fluxum, seu aliquam patientiam, vel tolerantiam præiudicium fiat, aut factum censeatur, ex Pastoralis officii debito providere volentes, ac **CONCORDATIS** prædictis firmiter inhærentes, Motu proprio, & ex Nostra matura deliberatione, ac certa scientia, auctoritate Apostolicâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium declaramus præsentas collationes & alias dispositiones de quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, Nobis & dictæ Sedi, ut præfertur, reservatis, per Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, & sæculares Principes, & Dominos quoscumque dictæ Nationis, seu ad eorum præsentationem, vel nominationem, etiam per Ordinarios ipsorum beneficiorum collatores, à tempore dictæ direptionis, citra & contra tenorem & formam dictorum **CONCORDATORUM** quomodolibet factas, & in posterum faciendas, personis quibus, aut in quarum favorem factæ sunt, aut in posterum fient, nisi sint per Nos, aut Nostrâ, vel dictæ Sedis auctoritate approbatæ, nullum titulum, vel colorem

ipsa be

ipsa beneficia possidendi tribuisse, aut in futurum tribuere, sed & illos pro malæ fidei possessoribus, & merè intrusis ab omnibus haberi & censi, ac fructus per eos ex beneficiis huiusmodi perceptos & percipiendos, nullo unquam tempore suos facere, sed ad illorum restitutionem in utroque foro efficaciter obligatos esse, & ad illorum restitutionem, ad eorum quorum interest, seu etiam fisci Nostri instantiam, omnibus viis iuris, & remediis compelli posse & debere, & eos nullo unquam tempore beneficio Regularum de annali, & triennali pacifico possessore gaudere potuisse, aut posse.

III. Illis verò, quibus eadem beneficia per Nos, aut auctoritate Nostrâ, vel dictæ Sedis, tenore, & formâ CONCORDATORUM huiusmodi servatis, collata seu commendata sunt, aut in futurum conferentur, vel commendabuntur, nec non Ecclesiis & locis Ecclesiasticis, ac Collegiis, quibus perpetuò, vel ad tempus eadem auctoritate unita sunt, aut in posterum unientur, ac omnibus illis, qui in executione literarum Apostolicarum eis concessarum per constitutiones, seu mandata Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, Principum, vel Dominorum prædictorum, hætenus quomodolibet impediti fuerunt, aut in posterum impediuntur, dictas Regulas, & quemcumque temporis fluxum, seu patientiam, vel tolerantiam minimè obstare debere, quò minus contra dictos intrusos, & intrudendos quocumque tempore judicialiter experiri valeant.

IV. Decernentes, si per quoscumque Iudices, & Commissarios,

Provisis autem à Sede Apostolica iuxta tenorem Concordatorum iura quacumque reser- uat, etiam agendi quæ contra intrusos.

*Decretum
irritans.*

missarios, quâvis auctoritate fungentes, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Palatii Apostolici causarum Auditores sententiari, interpretari, & iudicari debere, sublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter sententiandi, interpretandi, & iudicandi facultate & potestate; ac irritum & inane, si secus super his, ab eis vel quibusvis aliis quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsitan est hætenus, aut in posterum contigerit attentari,

*Clausula
derogato-
ria.*

V. Non obstantibus Regulis & aliis præmissis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præmissa ad omnium notitiam deducantur, volumus & mandamus præsentibus in Cancellaria Apostolica more solito publicari, & in quinterno eiusdem Cancellariæ describi.

*Transum-
ptorum fi-
des.*

VI. Prætereâ, quia difficile foret præsentibus literas ad singula loca, in quibus de eis forsitan fides facienda foret, deferri, eadê Apostolicâ auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis, manu alicuius Notarii publici inde rogati subscriptis, & sigillo alicuius personæ Ecclesiasticæ in dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus in iudicio & extra, & aliâs ubilibet fides indubitata adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

*Sanctio præ-
missis.*

VII. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.
Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Do-
mini

minicæ millesimo quingentesimo trigesimo quarto, Kal.
Iulii, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Blosius.

§. 13. Ex qua collige primò, hujusmodi provisos per Ordina-
narios contra formam Concordatorum Germaniæ, omni ti-
tulo carere & possessione, nec eorum possessionem veræ pos-
sessionis, sed potiùs iniquæ usurpationis & veræ intrusionis
nomen mereri. *Felin. in c. in nostra. in fin. de rescript. Simonetta de
reservat. quest. 48. Branden ad Concord. German. quest. 2. num. 11. &
seq. ac quest. 5. num. 9. & seq. Chokier ad reg. cancell. reg. 1. num. 15. ex
prædicta Clementis Papæ VII. Constitutione.*

Vnde pro-
visi contra
formam
Concorda-
torum ca-
rent omni
titulo &
possessione.

§. 14. Secundo, nec tutos esse beneficio Regulæ de *Annali*
& *Triennali* possessore, ex disertis verbis dictæ Constitutionis;
sed cum ipso jure privati sint beneficio, non possunt illud ci-
tra peccatum mortale retinere, verùm tenentur in foro con-
scientiæ & animæ judicio statim dimittere, etiam ante om-
nem ludicis sententiam, *Abb. in c. extirpandæ. §. verò. num. 24.
de præben. Hoieda de incompatib. benef. part. 1. cap. 13. num. 61. Tira-
quell in l. si unquam. num. 291. & 292. C. de revoc. donat. Branden ad
Concord. quest. 5. num. 10. Covar. tom. 1. relect. in c. possessor. part. 2. §.
10. num. 10. de reg. iur. in 6. Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 3.
quest. 1. num. 58. & lib. 7. quest. 1. num. 110. Chokier ad reg. 8. gloss. 11.
num. 8. & ad reg. 33. aliàs 35. n. 89. Layman Theol. moral. lib. 4. tract.
2. cap. 15. num. 2. 3. & 4. & fructus perceptos restituere, juxta ean-
dem Clementis Papæ Constitutionem; adeoq; frustrà dubita-
mus, habentes verba expressa Principis. *l. ancilla. 12. C. de furtis.**

Nec tuti
sunt bene-
ficio regu-
læ de anno-
li, vel tri-
ennali pos-
sessore.

§. 15. Tertio, Collatores, & eos, qui hujusmodi provisos non
intrans per ostium, sed aliunde ascendentes, ad possessio-
nem admittunt, præter gravissimum peccatum, quo animam
suam illaqueant, mittendo falcem in messem alienam, & ju-
ra Pontificia violando, qui est actus injustitiæ, ex genere suo
peccatum mortale, *D. Thom. 2. 2. q. 59. art. 4. & q. 70. art. 4. Bran-
den quest. 5. num. 15. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. beneficia. ad
secundum. teneri ad restitutionem damni & interesse, quod
provi-*

Sed etiam
sic confes-
sionem gra-
vissimè
peccant.

Ioan. 10.
2. 1.

provisus Apostolicus patitur. Vide Rebuff. in praxi benef. de pœnis collat. indign. Garciam de benef. part. 7. cap. 16. n. 51. & seq. Nec non suspensos esse à beneficiorum & officiorum collatione, donec veniam petentes, restitutionis gratiam à Sede Apostolica meruerint obtinere, per Constitutionem Gregorii XIII. Pontificis Maximi. Gonzalez ad reg. 8. §. 7. proœm. num. 247. Qui bus subjungit Branden loc. cit. num. 20. & seq. quod Confessarii tales malè provisos, & eorum collatores non possint in Sacramentali Confessione absolvere, nisi priùs dimisso beneficio, fructus & damna restituerint.

Nec illos
excusas
ulla con-
suetaris
possessio.

§. 16. Nec Collatores excusat contraria possessio, aut consuetudo cujuscumque etiam temporis; quia diuturnitas temporis non diminuit, sed adauget potiùs peccatum, c. fin. l. q. 3. & ibi gloss. c. non satis. 8. ibi, nec sub obtentu cuiusquam consuetudinis reatum suum quis tucatur. & c. cum Ecclesia. 7. de Simon. vide supr. à tit. 1. dub. 2. §. 5.

Nec huius-
modi pro-
visi ad eo-
rum bene-
ficiorum
situlum
possunt
Ordinari.

§. 17. Collige quartò, in praxi, & conscientia tutius videri, quod quicumque de beneficiis Sedi Apostolicæ per Concordata Germaniæ reservatis, contra eorundem tenorem per Ordinarios sunt provisus, & ea scienter retinent, nequaquam valeant ad eorum titulum sacro Ordine initiari. Quia cum Concilium Trid. sess. 21. cap. 2. de reform. & Pius Papa V. Constit. 75. Bullarii tom. 2. expressè decernant, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia & ætate, ad SS. Ordines titulo beneficii promoveatur, nisi priùs legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere: huiusmodi autem, quibus sic beneficia invalidè collata sunt, cum sint merè intrusa, nec ullum omninò habeant titulum, ne quidem coloratum, sed nec ullam possessionem; cum acceptatio beneficii notoriè nulla, possidendi nullum colorem tribuat, Chokier in comment. ad reg. 27. aliàs 28. cancell. num. 36. cum aliis ibid. citatis. Imò nec ullo unquam tempore gaudere queant beneficio Regulæ de annali & triennali possessore, sed ipso jure privati sint, & beneficia sic obtenta teneantur dimittere, etiam ante omnem iudicis sententiam, & fructus perceptos restituere, uti ex præceden-

Greg. Pa-
pa 13.
Constit.
41. Bulla-
rii tom. 2.
relata su-
pra tit. 1.
dub. 11. §. 1.

cedentibus abundè patet, sequitur planè, quod ii ad ejsmodi beneficiorum titulum nequeant sacris Ordinibus insigniri, citra suspensionem ab executione Ordinis sacri per ipsos suscepti, uti sine titulo Ordinati. *Bonacina tom. 1. de Sacram. Ord. disp. 8. quest. 1. punct. 5. sub num. 30. & tom. 3. disp. 3. quest. 1. punct. 8. num. 1. 4. & 12 in fin. contra Garcia de benef. part. 2. cap. 5. §. 1. num. 148.*

§. 18. Nec relevat, si cum eodem *Garcia loc. cit.* dicas, juxta Concilium Tridentinum suprà citatum sufficere, ut quis non dicatur Ordinatus sine titulo, quod sine fraude pacificè possideat beneficium, esto, non habeat legitimum titulum. Siquidem hæc possessio, non est vera possessio, cum taliter provilus suum non possideat, sed potius est alieni detentio, intrusio, invariatio, & iniqua usurpatio, omni possessionis colore, & juris adminiculo destituta, ut *suprà §. 13. & seq.* latè est demonstratum; quæ nec à fraude potest exculari, *Simonetta de reservat. quest. 29. num. 2.* sicut ergò quis non potest titulo alieni beneficii Ordinari, teste prædicto *Garcia de benef. part. 2. cap. 5. num. 95.* ita nec eo modo provilus, cum verè alienum occupet. Ad hæc, si licitè posset quis taliter collati beneficii titulo ad sacros Ordines promoveri, etiam posset hujusmodi beneficium in favorem alterius resignare; cum juxta Concilium Tridentinum *cit. sess. 21. de reform. cap. 2.* liceat liberè resignare beneficia, ad quorum titulum quis fuit Ordinatus, factâ tamen de eo mentione, & habito aliunde, unde vivat; atqui taliter provilus id non potest, quamvis diu pacificè possederit, *Flamin. Paris de resignat. lib. 3. quest. 1. num. 39. 40. 41. 42. 43. & seq.* nam ex quo verè intrusus est, & ab initio jus nullum habuit in sic obtento beneficio, in alium transferre nequit. *c. Daybertum. 1. q. 7. c. quod autem. 5. de iure patron. uti nec permutare, sed statim dimittere tenetur ex dictis suprà §. 14.* Nec longa detentio beneficii iustificat titulum aliàs invalidū, *c. dilecto. 25. de praben. reg. 18. de reg. iur. in 6. c. causam. 7. & c. accedentes. 11. ibi Abb. & Felin de prescript.* Neque ex diuturnitate tēporis nascitur titulus in beneficialibus & spiritualibus, *Bald. per tex. in cap. ex parte. 1. de testibus.* & qui retinent rem furtivam, quantò magis retinent,

Responde-
tur ad ar-
gumentum
contrariū.

tantò magis peccant, c. si res. 14. q. 6. l. si pro iure. 7. ff. de condic. fur. eleganter Flamin. Paris. loc. cit. & lib. 7. quæst. 4. num. 108. 109. & seq. Branden ad Concord. German. quæst. 5. n. 11. & 12. Igitur nec ad eorundem titulum Ordinari potest. Vnde suaserim, ut ubi nullus foret à Sede Apostolica provifus, ii, quibus sic nulliter ab Ordinario collatum est beneficium, pro secura dicti beneficii retentione, & conscientia exoneratione, indilatè novam à Sede Apostolica provisionem impetrent. Branden suprâ quæst. 5. num. 31.

Argumen-
ta à non
usu seu
non recep-
tione, aut
contraria
consuetu-
dine con-
tra Consti-
tutiones
Apostoli-
cas sunt
frivola.

§. 19. Ex his porrò quisquis obediens S. Ecclesiæ Romanæ filius liquidò cognoscer, vulgaria hæc argumenta non usus, contrariæ consuetudinis, seu præscriptionis, aut non receptionis contra leges Canonicas, & Constitutiones Apostolicas, esse potiùs inobediendiæ fulcimenta, quàm filialis erga S. Sedem Apostolicam reverentiæ & observantiæ documenta; quandoquidem summi Pontifices tot suis sanctionibus, ac Decretis, & antè & nunc, quascumque consuetudines contrarias, non usus, & præscriptiones omninò prohibuerint, sustulerint, & proscripserint, & in dies prohibeant & damnent. De Pontificia autem in hoc potestate nemo verè Catholicus dubitare potest, minùs de voluntate, quæ ex clausulis Decreti irritantis, & verbis disertis in Constitutionibus suis expressè adiectis clarissimè elucet. Quin etiam, cùm nec eius leges pendeant ab acceptatione populi, uti optimè docent Suarez lib. 4. de legibus. cap. 16. num. 2. & seq. Diana resolut. moral. part. 7. trac. 1. resolut. 28. num. 2. consequens est, quod nec per non receptionem, seu non usum abrogari queant, uti ex præmissis abundè constat, & perpulchrè tradit Diana resolut. moral. part. 6. trac. 9. resolut. 13. & part. 7. trac. 1. resolut. 28. per tot. Insuper toties à Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaratum fuit, teste Branden ad Concord. quæst. 4. num. 28. nec non à summo Sacræ Rotæ Romanæ Tribunali decisum, per nullos actus contrarios, non usum, aut inobservantiam, præscriptionem, consuetudinem, etiam mille annorum, aut immemoriam, derogari Pontificiis Constitutionibus, & legibus Canoniceis, citra certam, positivam scientiam.

scientiam, & expressum Summi Pontificis consensum, sicuti supra hoc tit. & dub. §. 5. & seq. luculenter est demonstratum: aded ut his deficientibus, vanum sit eiusmodi exceptiones prætexere, sed verè dici possit, *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Et inde, ut deplorat Branden ad Concord. loc. cit. n. 15. plurimarum Ecclesiarum ruina provenit, dum per eiusmodi exceptiones, Apostolicis Constitutionibus illuditur.

Lucæ 12.
n. 47.

Ad Heb.
13. v. 17.
Matth.
22. v. 21.

§. 20. Quæ meritò à quibuscumque Ordinariis collatoribus, illis præsertim, qui Pontificia iura per suas attentatas collationes invadere non verentur, contra apertam Concordatorum dispositionem, quæ ipsis nota est, vel esse debet, & consequenter eos latere nequit prædictarum provisionum nullitas & iniustitia, forent penitiùs examinanda, & perpendenda, cum scriptum sit, *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* Et Christus nos apertè doceat, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Alioquin, uti seriò inculcat Branden quaest. 4. num. 35. non dubitandum sit, quin sub istis prætensionibus legis non receptæ, seu non usus, vel contrariæ consuetudinis, aut præscriptionis contra Indulta Apostolica, leges Canonicas, Ordinationes & Constitutiones Pontificias, magna eorum, prout & Advocatorum, Procuratorum, Iudicum minùs circumspèctè agentium, atque etiam Theologorum in excusandis Confitentium erroribus, contra ius positivum plus æquò propensorum, magna inquit d. Branden, caterva volet, & descendat ad eos, ubi sine lege est sempiterna confusio; à qua nos omnes Divina Bonitas præservare dignetur.

Ad quæ merito attendere deberent.

§. 21. Insuper advertant dicti collatores Ordinarii, dum uti nolunt privilegio Concordatorum, vel eadem non observare, usu recepta non esse allegantes, se teneri ad observationem Regulæ IX. Cancellariæ Apostolicæ; siquidem, ubi exeunt Concordatâ, subintrant reservationes Regularum Cancellariæ: & egressus unius operatur ingressum alterius, c. cum renuntiatur. 32. q. 1. l. 1. §. illud sciendum. ff. de separat. & à remotione unius contrarii, sequitur positio alterius, l. sed si pupillus. II. §.

Concordatâ Germaniæ repudiantis tenentur observare Regulas Cancellariæ Apostolicæ.

si instituta ff. de instit. action. Branden ad Concord. quest. 4. num. 43. Chokier ad reg. 8. gloss. 20. num. 7. & 8. & sic non nisi in quatuor mensibus, videlicet Martio, Junio, Septembri, & Decembri beneficia vacantia conferre possunt, reliquis octo mensibus, Januario, Februario, Aprili, Maio, Julio, Augusto, Octobri & Novembri per eandem Regulam Summo Pontifici reservatis: ita ut incidant in scyllam, cupientes vitare charybdim.

In beneficio intrusus non potest conferre beneficia ad se in illa qualitate spectantia.

§. 22. Quæret forsitan aliquis, an intrusus in beneficio reservato, puta, Præpositura, Decanatu, vel Scholastia &c. & habitus ac reputatus pro Præposito, Decano, aut Scholastico, & in possessione existens, possit pro eo tempore beneficia vacantia ad collationem Præpositi, Decani, vel Scholastici spectantia conferre? Responsio facilis est ex præmissis, eaq; negativa, prout resolvit *simonetta de reservat. benef. quest. 44. per totum motus auctoritate Rotæ decis. 20. in antiq. & decis. 4. in antiquior. de præben.* quem sequitur *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 45. §. 2. num. 44. & seq. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 4. num. 251. & cap. 5. num. 21.* Ratio est, quod possessio beneficii reservati careat omni iuris adminiculo, imò possidens propriè nullam possessionem habeat, obstante reservatione & Decreto irritante, sed & ipso iure privatus sit beneficio, uti dictum *suprà hoc dub. §. 9. 10. 11. 12. 13. 16. 17. & 18.*

Provisiones Apostolicæ debent executioni mandari sine placito prævio Episcoporum, eorumve Officialium, sub pœna excommunicationis contra impediētes.

§. 23. Cùm porrò in quibusdam Episcopatibus introductus esset abusus ille, sed & per statuta Synodalia cautum, (prout etiam in quibusdam Germaniæ Episcopatibus factum scio) nullæ literæ, provisiones, bullæ & gratiæ Apostolicæ publicarentur, seu executioni demandarentur, nisi præviâ earundem approbatione, seu *Placeto*, ut vocant, ab Episcoporum Officialibus, ministrisve obtento: eoq; prætextu fiebat, ut dictæ provisiones & literæ Apostolicæ, per eosdem Officiales Ordinariis collatoribus plus æquò faventes, vel supprimerentur, suspenderentur, aut impedirentur; & iidem collatores suos intrusos in beneficiis S. Sedi reservatis eò faciliùs manutēerent, in gravissimum eiusdem Sedis, ab eaq; provisorum præiudicium; hinc *Clemens* Papa VII. ut hisce incommotis obviaret, huiusmodi statuta Synodalia omninò cassavit, & annullavit, atque è statu

statutorum libro expungenda decrevit, nec non literas Apostolicas absque eiusmodi placeto exequendas: Episcopos verò, eorumq; Officiales, & alios quosvis, qui provisiones Apostolicas ad hoc adigere, vel aliàs literarum Apostolicarum executionem quomodocumque impedire, eisq; auxilium directè, vel indirectè præstare præsumpserint, Anathematis sententiæ tandem subiacere voluit, quousque ad cor redeuntes, eius interdicti relaxationem, debitâ satisfactione præmissâ, meruerint à Summo Pontifice impetrare, uti ex illius Constitutione hic subiecta patet.



CLEMENS PAPA VII.

Clemens
Papa 7.
Constit. 35.
Bullarij
tom. 1.



Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex, qui solet pro debito Pastoralis officij alios in sua justitia confovere, non debet suam, & Apostolicæ Sedis justitiam negligere, quare Nos ad ea debemus sollicitè intendere, per quæ Nostra, & ejusdem Sedis auctoritas conservetur, & quæ propterea à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris providè processisse comperimus, ut perpetuò firma & illibata persistant, libenter Apostolico munimine roboramus, ac aliàs Nostræ provisionis remedium adjicimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Execratus

Num. I. Sanè licet olim bonæ mem. **VRBANUS** Papa VI. in sua obedientia nuncupatus, concesserit certis

Urbanus
Papa 6.
concessit
olim

F f 3

quibusdam
Prælati,
ut literæ
Apostolicæ
sine eorum
approbati-
one non
possent in
eorum locis
executioni
mandari,

certis Prælati, ut in eorum Civitatibus & Dicecesibus execu-
tio literarum Apostolicarum fieri non possit, nisi literæ
ipsæ eisdem Prælati, aut eorum Officialibus prius exhibi-
tæ, & per eos approbatæ forent; & eorundem Prælato-
rum Officiales id in consuetudinem deduxissent: aliqui ve-
rò prætextu statutorum provincialium, seu synodalium
etiam servassent, quod nullus literas Apostolicas hujusmo-
di exequi auderet, nisi postquam Prælati, seu Officiales ipsi
per suas literas, quas *vidimus*, seu *placet* nuncupabant,
mandarent, & concederent, ut iudices in ipsis literis Apo-
stolicis deputati, illa exequi possent.

Quod Bo-
nifacius
Papa 9.
revocavit,

II. Tamen fel. recor. BONIFACIUS Papa IX. etiam in
sua obedientia nuncupatus, providè attendens quod prop-
ter tales literas *vidimus*, seu *placet* nuncupatas, impe-
trantes Apostolici sæpè literarum Apostolicarum effectû
consequi nequiverant, concessionem VRBANI hujusmo-
di, ac statuta quæcumque super his facta revocavit, cassa-
vit, & annullavit, ac decrevit, quod iudices & executores
quicumque in literis Apostolicis pro tempore deputati, et-
iam sine licentia, vel consensu quorumcumque Prælato-
rum, vel Superiorum, aut Officialium eorundem, literas
Apostolicas exequi possent, & deberent.

Similiter
Martinus
Papa 5.

III. Et successivè fel. recor. MARTINUS Papa V. Præ-
decessor Noster in Concilio Constantiensi considerans,
quod in exordiis pestiferi, & antiquati schismatis, tunc per
Dei gratiam extincti, ad tollendum scandala, quæ propter
executionem diversarum literarum, quæ ab his, qui pro
Romanis

Romanis Pontificibus in diversis obedientiis se gerebant, in nonnullis partibus oriebantur, supradictus VRBANUS in sua obedientia quibusdam Prælati supradictam concessionem fecerat, & quod postea ipsi Prælati, seu Officiales in consuetudinem traxerant; aliqui verò prætextu dictorum statutorum provincialium, seu synodalium, servabant & servari faciebant, quod literas Apostolicas nullus exequi deberet, nisi postquam Prælati, seu Officiales ipsi per suas literas, quas *vidimus*, seu *placet*, ut præfertur, nuncupabant, mandarent & concederent, quod possent exequi per Iudices in eis deputatos; propter quod executio literarum Apostolicarum plus debito plerumque retardata fuerat, & sæpè ipsæ literæ Apostolicæ executione caruerant totaliter, in gravem iniuriam Sedis Apostolicæ, & enorme impetrantium præiudicium & gravamen. Censensq; rationi congruum, ut quod dicti schismatis calamitas introduxerat, pacis tempore auferretur, concessionem prædictam, & quæcumque statuta circa præmissa quomodolibet facta, auctoritate Apostolicâ, dicto sacro Concilio approbante, revocavit, cassavit, & annullavit, ac voluit & decrevit, quod Iudices & executores quicumque in literis Apostolicis deputati, & deputandi, & alii quicumque, nec non Notarii, & tabelliones super his requisiti, & requirendi, absque huiusmodi literis *vidimus*, seu *placet* nuncupatis, ac etiam licentia, vel assensu quorumcumque Prælatorum, Patriarchali, aut aliâ quâvis dignitate insignitorum, & locorum Ordinariorum, aut Officialium eorum-

dem liberè huiusmodi literas Apostolicas exequi deberent, atque possent, ac eâdem auctoritate decrevit, omnes & singulas sententias, quas prædicti Prælati, aut eorum Officiales contra huiusmodi Iudices, vel executores, seu impetrantes, propter executiones huiusmodi per eos faciendas inflixerant, & promulgaverant, irritas & inanes, ac nullius existere roboris, vel momenti. Nec non quemcunque, qui contra præmissa aliquid attentare præsumeret, ab exercitio iurisdictionis Ecclesiasticæ per tres menses suspensus fore.

Es Leo 10.

IV. Ac novissimè piæ mem. LEO Papa X, etiam Prædecessor Noster, cum aliàs in publica signatura coram eo nonnullæ supplicationes propositæ fuissent, continentibus, quod in Tolertana & Carthaginensi Ecclesiis, sub colore falsitatibus obviandi, conditæ fuerant constitutiones synodales, quibus caveri dicebatur, ut tabelliones & Notarii, etiam à partibus requisiti, literas Apostolicas nullatenus recipere possent, nisi illæ priùs per Archiepiscopum Tolertanum, & Episcopum Carthaginensem pro tempore existentes, aut eorum Officiales examinatæ forent: & ab eodem LEONE Prædecessore earundem constitutionum confirmatio peteretur, petitionem huiusmodi, ut ratione carentem (cùm Romani Pontificis gesta per inferiores, & sibi subditos sine eius speciali licentia examinari non deberent) indecens & absurdum, quin imò temerarium fore censens, quod aliquis quâvis occasione literas Apostolicas sine Romani Pontificis speciali commissione examinare velle præsumeret, ac supplicationes ipsas, prout meritò
reijci

reijiciendæ erant, reiecit, & coram eo lacerari fecit. Ac super his tale remedium adhibere volens, ut aliis in posterum committendi similia aditus præcluderetur, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, literas dicti BONIFACII approbavit & innovavit, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, illasq; inviolabiliter observari debere decrevit.

V. Nec non quascumque constitutiones Synodales, tam in dictis Toletana & Carthaginensi, quam quibusvis aliis Ecclesiis per universum Orbem constitutis, super his factas, motu, scientiâ, auctoritate, & potestate prædictis cassavit & annullavit, ac statuit & ordinavit, quod iudices & executores in literis Apostolicis pro tempore deputati, ac Notarii & tabelliones super his requisiti, ipsas literas Apostolicas sine alicuius personæ, cuiuscumque Ecclesiasticæ, vel mundanæ dignitatis esset, licentia vel consensu exequi possent, & deberent.

*Synodales
constitu-
tiones im-
pedientes
executio-
nem lite-
rarum A-
postolica-
rum an-
nullando,
& illas
absque li-
centia exe-
cuti man-
dando.*

VI. Et insuper universis Patriarchis, Archiepiscopis, Primatibus, Episcopis, & aliis Prælatibus, & personis Ecclesiasticis, nec non Communitatibus Civitatum, & universitatibus castrorum, Oppidorum, terrarum, & locorum sub interdicti, singularibusq; personis eorû, etiam sæcularibus, sub excommunicationis & anathematis pœnis, quas eo ipso, si contra fecissent, absque alia declaratione incurrerent, & à quibus non nisi ab eodem LEONE Prædecessore, vel Successoribus suis canonicè intrantibus, præterquam in mortis articulo constitutæ, & debitâ satisfactione præmissâ, absolvi, & interdicti huiusmodi relaxa-

*Impedien-
tibusq; il-
larum exe-
cutionem
pœnas hic
adscriptas
imp. suere.*

Gg tionem

tionem obtinere possent, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandavit, ne iudices & executores literarum Apostolicarum, ac Notarios & tabelliones super his requisitos, quominus literas Apostolicas huiusmodi exequi possent, quoquo modo impedire præsumerent, ac eos, qui executionem literarum huiusmodi impedirent, seu impedientibus auxilium, vel favorem quovis modo, directe, vel indirecte, publice, vel occulte præstare præsumerent, etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Primatiali, Episcopali, vel quavis aliâ Ecclesiasticâ, vel mundanâ, etiam Imperiali, Regali, Reginali, aut Ducali, vel aliâ præfulgeant dignitate, eidem excommunicationis & anathematis sententiæ, à qua non nisi, ut præfertur, absolvi possent, subiacere; ac Civitates, terras, castra, Oppida, & loca prædicta, ad quæ inobedientes & contra facientes declinare, & in quibus moram trahere contingeret, Ecclesiastico supposuit interdicto, tamdiu firmiter observando, donec compuncti corde, interdicti huiusmodi relaxationem, debitâ satisfactione præmissâ, meruerint obtinere, motu, scientia, auctoritate, & potestatis plenitudine similibus decrevit.

*Contra istas
constitutionibus
synodali-
bus cassa-
tis.*

VII. Nec non sub dictis pœnis etiam mandavit illis, in quorum libris constitutiones synodales, & provinciales huiusmodi descriptæ reperirentur, ut eas deleri & cassari facerent, ut amplius legi non possent, prout in singulis dictorum Prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

VIII. Cùm autem Nobis summè cordi sit, conatibus
istorum

istorum, qui executionem literarum & mandatorum Apostolicorum sic impediunt, omnibus, quibus cum Deo possumus modis, viis, & mediis obviare: quamvis enim de presenti sint alia turbulentissima, & deploranda tempora, & in nonnullis partibus damnatissimæ hæreses pullulent, tamen his temerariis præsumptionibus duximus necessario obviandum. Nos igitur, qui sumus, licet immeriti, Divinâ providentiâ unicus sponsus Ecclesiæ sponsæ Nostræ, & non debemus Nostram, & ipsius sponsæ Nostræ justitiam negligere, qui alios in sua justitia confovemus, inducti eisdem rationibus, quibus præfatus MARTINUS Prædecessor cum Sacro Concilio prædicto motus fuit, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Nostra matura deliberatione, & de simili potestatis plenitudine, singulas BONIFACII, MARTINI, & LEONIS Prædecessorum literas hujusmodi, ac omnia & singula in eis contenta, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus & innovamus, plenamque roboris firmitatem obtinere, & perpetuò inconcussè & inviolabiliter observari debere decernimus.

IX. Nec non quascumque constitutiones provinciales & synodales, de non exequendo literas Apostolicas sine placito Ordinariorum locorum, & nisi ipsæ literæ sint prius per eosdem Ordinarios, seu eorum Officiales, aut Sigilliferos, vel Commissarios visæ & admittæ, in supradictis & quibusvis aliis Ecclesiis, ac Civitatibus, Diocæsesibus, & provinciis per totum orbem terrarum constitutis, ut præferatur, editas & factas, ac quomodolibet, etiam sub dicto colore obviandi falsitatibus & fraudibus, innovatis, motu,

Hic Pontifex prædicta confirmat.

Et quascumque Ordinationes de visendis literis Apostolicis antecarum executione, damnat, & cassari mandat.

scientiâ, auctoritate, & potestatis plenitudine prædictis
cassamus & annullamus, ac ex quibuscumque libris, ubi des-
criptæ reperiuntur, penitus cassari, & deleri sub dictis pœ-
nis mandamus.

*Liberamq[ue]
executio-
nem per-
mitti su-
bet.*

X. Nec non de novo statuimus & ordinamus, quod
Iudices & executores in literis Apostolicis pro tempore
deputati, ac Notarii & tabelliones super his requisiti, ipsas
litteras Apostolicas liberè, & sine alicuius personæ cuius-
cumque Ecclesiasticæ, vel mundanæ dignitatis fuerit, li-
centia, vel consensu exequi possint, & debeant. Et nihil-
ominus universis Patriarchis, Archiepiscopis, Primatibus,
Episcopis locorum Ordinariis, eorum Officialibus, Sigil-
liferis, & Commissariis, ac aliis personis tam Ecclesiasti-
cis, quàm sæcularibus, quâvis auctoritate fulgentibus, nec-
nô Communitatibus Civitatum, & universitatibus castror-
um, Oppidorum, terrarum, & locorum in virtute sanctæ
obedientiæ, ac sub excommunicationis & anathematis
pœna in eorum singulos, quam si contrâ fecerint, eo ipso,
etiam absque alia declaratione de super facienda, incurrant,
à qua non nisi per Nos, aut successores Nostros canonicè
intrantes, etiam prætextu quorumcumque privilegiorum
Apostolicorum, eis etiam per Nos quomodolibet concess-
orum, aut innovatorû, quæ eis quoad hoc nullatenus sus-
fragari volumus, præterquam in mortis articulo constitu-
tæ, & debitâ satisfactione præviâ, absolvi possint, restrictè
præcipiendo mandamus, ne Iudices & executores litera-
rum Apostolicarum, ac Notarios, & tabelliones super
his pro tempore requisitos, quominus litteras Apostolicas
huius

huiusmodi liberè, & absque eorum placito, licentia, & consensu exequantur, quovis modo impedire præsumant.

XI. Nos enim omnes illos, qui executionem literarum ipsarum Apostolicarum impediverint, seu impedientibus auxilium, consilium, vel favorem directè vel indirectè, publicè vel occultè, aut quovis quæsito colore præstare præsumpserint, etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Primate, Episcopali, & quâvis aliâ Ecclesiasticâ, vel mûdanâ, etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, vel aliâ dignitate præfulgeant, per alias Nostras literas in die Cœnæ Domini publicè lectas, excommunicavimus, & anathematizavimus, prout etiam tenore præsentium eos eidem excommunicationis, & anathematis sententiæ, à qua non nisi, ut præfertur, absolvi possint, subiacere: ac Civitates, terras, castra, Oppida, & loca, in quibus dicti inobedientes & contra facientes manserint, & ad quæ eos declinare contigerit, Ecclesiastico supposita esse interdicto, tamdiu firmiter observando, donec ad cor reversi, interdicti huiusmodi relaxationem, debitâ satisfactione præmissâ, meruerint à Nobis, aut dictis Successoribus Nostris obtinere. Nec non omnes & singulas sententias, censuras & pœnas, quas dicti Ordinarii, aut eorum Officiales, contra huiusmodi Iudices, & executores literarum Apostolicarum, aut illas impetrantes, seu Notarios & tabelliones, propter executiones per eos factas, vel faciendas, inflixerunt, & promulgarunt, aut in futurum quomodolibet infligent, aut promulgabunt, irritas & inanes, ac nullius

*Contravenientibus
pœnam
imponit.*

roboris vel momenti existere, eisdem motu, scientiâ, auctoritate, vel potestatis plenitudine decernimus, & declaramus.

*Executores
rem huius
sua Con-
stitutionis
deputat,
& facultates
concedo.*

XII, Quocircâ dilecto filio Curiaë causarum Camerae Apostolicæ generali Auditori, auctoritate & tenore prædictis, motu simili committimus & mandamus, ut si, & quando, ac quoties de cætero ad eius notitiam per delationem partis, cuius interest, vel fisci Nostri, seu famam publicam, aut aliâ quovis modo deducatur, dictos Ordinarios, seu eorum Officiales, sigilliferos, & Commissarios, aut quosvis alios, seu eorum aliquem dictis constitutionibus, ut præfertur, cassatis & annullatis adhuc pertinaciter uti, & illas ex eorum libris non delevisse, seu ipsos Iudices, & executores literarum Apostolicarum, ac Notarios & tabelliones super his requisiti, quominus easdem literas Apostolicas liberè, & absque eorum placito, visione, vel admissione exequantur, quoquo modo impediant, seu impediendis præmissis, aut alio quovis modo auxilium, consilium, vel favorem præstent, habitis & receptis priùs per eum desuper aliquibus probationibus, ad instantiam partis, vel fisci, vel etiam ex mero officio, etiam summarie, & extrajudicialiter, quantum sibi sufficere videbitur, eosdem Ordinarios, eorumq; Officiales & Sigilliferos, & Commissarios, ac quosvis alios in præmissis culpabiles, & eorum singulos, etiam nominatim & in specie, ad instantiam partis, vel fisci prædictorum, vel etiam ex suo mero officio, prout sibi videbitur magis expedire, vigore præsentium peremptorie moneat & requirat, ac moneri & requiri faciat, etiam

etiam per edictum publicum in locis affigendum publicis,
& in partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura,
quod ad ipsorum monitorum notitiam pervenire valeat, ad comparandum legitimè coram eo, infra terminum
arbitrio suo eis præfigendum, per se, vel procuratores idoneos,
& si sibi videbitur, quoad Officiales & Sigilliferos, ac
Commissarios, & alios inferiores, etiam personaliter, &
non per procuratorem, sub privationis omnium & singulorum
beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum per eosdem obtentorum,
& ad illa, & quævis alia obtinenda, & eorum officia,
& alios quoscumque actus legitimos exercendum inhabilitatis
pœnis, eo ipso, si non paruerint, incurrendis, se de præmissis
legitimè excusandum: & quoad Officiales, & Sigilliferos, ac
Commissarios aliter, quàm quod iussu Dominorum suorum id
fecerint; cum hoc casu teneantur Nobis, tanquàm maiori potestati
obedire, non autem eorum Dominis, tanquàm minori potestati
Nobis subiectæ; quo quidem termino elapso, & dictis
monitis modo præmissis non comparentibus, vel etiam
comparentibus, sed se non sufficienter, vel minus legitimè
excusantibus, eos omnes & singulos, etiam nominatim &
in specie, quâcumque appellatione, vel exceptione remotâ,
pro excommunicatis & anathematizatis; ac Civitates, castra,
Oppida & loca, in quibus manserint, & ad quæ eos
declinare contigerit, similiter nominatim & in specie pro
interdictis ubique locorum publicari, & denunciari faciat,
ipsosq; Officiales, Sigilliferos & Commissarios, ac alios
inferiores, in dictam privationis pœnam damnabiliter incidisse.

cidisse, & eorum beneficia & officia tamquam per privationem huiusmodi, tam de jure, quam de facto verè vacantia, à Nobis & dicta Sede dumtaxat liberè impetrari posse, ac eos ad illa, & quævis alia beneficia & officia Ecclesiastica obtinenda, ac eorum officia, & quoscumque alios actus legitimos exercendum penitus inhabiles perpetuò fore, auctoritate Nostrâ declaret, literasq; desuper necessarias & opportunas suo sub sigillo quibusvis petentibus det, & concedat.

*Clausula
de-rogato-
ris.*

XIII. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ BONIFACIUS, MARTINUS, ac LEO Prædecessores præfati in dictis suis literis voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, aut eorum loca Ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quod quidem indultum decernimus eis, quâcumque auctoritate muniti sint, contra præmissa in aliquo suffragari non posse, quò minùs ipsi huiusmodi sententiis & pœnis subjaceant, & dicta loca Ecclesiastico interdicto supposita existant.

*Iussu pub-
licationis.*

XIV. Ut autem præsentis literæ ad omnium notitiam deducantur, volumus & mandamus, eas in Cancellaria Apostolica publicari, & in quinterno ejusdem Cancellariæ describi, & præfatum Auditorem lapsis duobus mensibus post publicationem huiusmodi, ad illarum executionem modo

modo præmissis procedere posse decernimus & declaramus.

XV. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, innovationis, cassationis, annullationis, statuti, ordinationis, declarationis, voluntatis, mandatorum & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo tertio, quarto Kalend. Januarii, Pontificatus Nostri anno undecimo.

*Sancti petri
nalis.*

§. 24. Eadem verò Excommunicatio contra impediētes executionem literarum Apostolicarum, à Papa quotannis reiteratur die Cœnæ Domini, sicuti videre est in ejus bulla apud *Quarantam verb. Excommunicationes in bulla die cœnæ Domini. Bonacin. tom. 3. disp. 1. per tot. & maximè quest. 15. & apud D. Gerlacum Vinitorem in compendio de Sacrament. tit. 7. cap. 11. quest. 3.*

*Quæ etiam
reiteratur
in bulla
Cœnæ Do-
mini.*

§. 14.

§. 25. Denique pro hujusce dubii coronide, & controversiarum, quæ subinde inter provisos à Sede Apostolica, & item ab Ordinariis, de beneficiis eidem Sedi reservatis exoriuntur, elucidatione, in praxi notatu dignum est, quod licet ex dispositione Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 20. de reform.* causæ omnes, etiam beneficiales, in prima instantia coram locorum Ordinariis cognosci debeant: id ipsum locum non habeat in causis beneficiorum Summo Pontifici reservatorum; quia illæ etiam in prima instantia in Curia Romana decidi possunt, *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 52. num. 36.* uti expressè decrevit *Gregorius XIII. Pontifex Maximus præclarâ ea de re Constitutione tenoris sequentis.*

*Causa be-
nificiorum
reservato-
rum, etiam
in prima
instantia,
decidi pos-
sunt in Cu-
ria Roma-
na.*

Hh

GREGO.

GREGORIUS PAPA XIII.

Exordium

D futuram rei memoriam. Ad Romani Pontificis providentiam circumspectam pertinere dignoscitur, dubia super sacrorum Conciliorum decretis pro tempore insurgentia, sic suæ declarationis oraculo dilucidare, & interpretari, ut exinde litium dispendia inter fideles quoslibet valeant submoveri.

*Gregorii
Pape 13.
Constit. 19.
Bullarij
tom. 2.*

*Romanus
Pontifex
solet quan-
doque præ-
cipere, ut
possessio &
fructus be-
nificiorum
Sedis Apost.
reservato-
rum, nomi-
ne eiusdem
apprehen-
dantur, do-
ne literæ
Apost. ex-
pediantur;
& quando-
que etiam
mandat
provisos
ipso in
possessio-
nem indu-
ant*

Num. I. Accepimus sanè nuper, quod licet multo-
ties Romanus Pontifex, ut provisiones & gratiæ per eum
de beneficiis pro tempore vacantibus, ac suæ, & Sedis A-
postolicæ dispositioni & ordinatoini reservatis, in favo-
rem diversarum personarum sibi gratarum & acceptarum
factæ, executioni debitæ demandentur, & ne (dum literæ
Apostolicæ sub plumbo desuper expediuntur) beneficia
ipsa ab aliquibus indebitè occupentur, aut aliqua in spiritu-
alibus & temporalibus detrimenta sustineant, nonnun-
quàm corporalem possessionem ipsorum beneficiorum,
& illis annexorum, iuriumq; & pertinentiarum quorum-
cumque, Sedis & Cameræ Apostolicarum nominibus
apprehendi, ac omnes & quoscumque fructus, redditus, &
proventus beneficiorum, & annexorum eorundem percipi,
exigi, eosq; integros personis prædictis, postquam ipsæ
literas sub plumbo expeditas haberent, unâ cum dicta pos-
sessione consignari; quandoque verò, dum literæ sub
plumbo

plumbo expeditæ existunt, ut ius suum unicuique illorum conservetur, & temerariorum audacia, debitâ castigatione compescatur, ac ipsæ literæ Apostolicæ faciùs debitæ executioni, ut par est, demandentur, provisos de beneficiis, in corporalem, realem, & actualem possessionem beneficiorum, & annexorum, iuriumq; & pertinentiarum prædictorum induci, & inductos in ea manuteneri, a motis quibuslibet intrusis detentoribus ab eisdem, aliq; fieri, & exequi per diversas suas in forma brevis, & sub annulo Pif. catoris confectas literas mandet & præcipiat, certis inibi modo & formâ tunc præscriptis, dilecto filio causarum Curie Camera Apostolicæ generali Auditori, seu aliis executoribus desuper deputatis, quibus omninò parendum esset.

II. Nihilominùs nonnulli beneficiis prædictis inhiantes, ac gratias prædictas eludere, eorumq; intrusiones & detentiones improbè tueri satagentes, executionem literarum in forma brevis huiusmodi, & facultatem per eas ipsis executoribus attributam, diversis dubiis & cavillationibus remorentur, & processus per eosdem executores desuper habitos & formatos, ac inde secuta quæcumque nulla & invalida, nulliusq; roboris vel momenti esse, neque attendi debere contendunt, sub prætextu, quod in decreto S. Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 20.* dispositum fuerit, quod causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, exceptis his, quæ iuxta canonicas sanctiones apud Sedem prædictam

Comp. ures tamen ad impediendam executionem dictarum literarum Apost. dicebant causas omnes in prima instantia spectare ad Ordinarios, exceptis causis à P. officio per speciale rescriptum commissis.

sunt tractandæ, vel quas ex urgenti, rationabiliq; causa iudicaverit Summus Pontifex Romanus per speciale rescriptum signaturæ suæ, eius manu propriâ subscribendû, committere, aut avocare. Verùm cum decretum huiusmodi Concilii, concessionem prædictarum literarum in forma brevis, & illarum executionem nihil afficiat, neque per illos causa, seu instantia introducatur, sed merè executivè procedi mandetur; literæ quoque in forma brevis annulo Piscatoris munitæ, non minoris sint efficacitæ & auctoritatis, quàm rescripta signaturæ Romani Pontificiis eius manu propriâ subscripta.

*Edo hic
Pontifex
declarat
executionem
huiusmodi
literarum
Apostolicarum
post: impedi
deri non
posse ex
prædictis.*

III. Nos in his Nostræ debitæ declarationis cautelam adhibentes, ac provisorum prædictorum ius adversus dubia & cavillationes huiusmodi, æquitate & iustitiâ suadentibus, perseverare volentes, nec non prædictarum, & quarumcumque literarû in forma brevis super capienda possessione nomine Camerae huiusmodi, aut in favorem literarû sub plumbo expeditarum, tam à Prædecessoribus Nostris, quàm Nobis, & dicta Sede hæctenus concessarum tenores, ac litis & causæ, si quæ desuper executæ sint, statum, merita, nominaq; & cognomina iudicum, executorum, & colligantium, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad ipsorum provisorum, aut aliorum Nobis pro eis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac de mera Nostra deliberatione decernimus & declaramus, per concessionem literarum in forma brevis, & sub annulo Piscatoris, super capienda possessione quorumcumque beneficiorum dispositioni Apostolicæ

reserva-

reservatorum, seu affectorum, Sedis & Camerae Apostolicarum nominibus apprehendenda, & in eiusdem possessionis in favorem provisorum ab ipsa Sede de eisdem beneficiis, postquam literas sub plumbo super provisionis huiusmodi habuerunt expeditas relaxatione; nec non assistentia ipsis provisis literas desuper sub plumbo expeditas habentibus praestanda, & aliorum inibi expressorum executione facienda, quae mandata executiva sunt, & summariam dumtaxat caularum, propter quas illae emanarunt, cognitionem requirunt, decretis Concilii huiusmodi non contraveniri, nihilque praedicti illis inferri, vel eorum formam in aliquo violari, neque id dici, aut censer, vel executionem literarum earundem propterea in aliquo suspendi, sive remorari, aut facultatem literarum executoribus concessam impediri, sed executores ipsos, & ab eis deputatos subexecutores, facultate sibi per easdem literas, ut praefertur, concessa uti, frui, gaudere, & contra illis non parentes, ad declarationem incursus poenarum, & censurarum in eisdem literis in forma brevis contentarum, ac invocationem brachii saecularis procedere, ac alia omnia & singula in eisdem literis contenta (illarum tamen formam servatam) facere & exequi liberè & licitè potuisse & posse; nec non processus desuper habitos & formatos, habendosque & formatos, ac inde secuta & sequenda quaecumque, firma, valida, & efficacia fuisse, & esse & fore, suosque integros & plenarios effectus sortiri debere in omnibus & per omnia.

*Clausula
preserva-
tiva.*

IV. Præsentes quoque literas de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari nullatenus posse.

*Decretum
irritans.*

V. Sicq; in præmissis omnibus & singulis, per quos cumque Iudices & Commissarios, quâcumque auctoritate fungentes, etiam Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales (sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate) iudicari, & diffiniri debere; nec non irritum & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari,

*Contraveniens
pana.*

VI. Distinctius inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus & singulis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præminentia existentibus, & quâvis, etiam Episcopali, Archiepiscopali, vel aliâ maiori dignitate Ecclesiasticâ, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, & quâvis sæculari potestate fungentibus, ne decreto & declarationi Nostris prædictis, quovis quæsito colore, directè vel indirectè contravenire audeant, vel præsumant.

*Executo-
rum depu-
tatio, &
facultates.*

VII, Et nihilominus universis & singulis Nostris, & dictæ Sedis Nuntiis, ac locorum Ordinariis, eorumq; Officialibus, quatenus ipsi & eorum singuli, per se vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quâcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte provisorum, & executorum, & subexecutorum prædictorum, seu quarumcumque aliarum personarum in præmissis interesse habentium, vel alicuius ex eis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio

fidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ prædictos provisos, & executores, & subexecutores, seu alios in præmissis interesse habentes, eorumq; singulos decreto, declaratione, inhibitione, & aliis præmissis pacificè frui & gaudere, ac præsentis literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus, quos illa concernunt, & concernent quomodo libet in futurum, inviolabiliter observari. Non permittentes aliquem desuper contra illorum tenorem quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac aliâq; opportuna iuris & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

VIII. Non obstantibus fel. record. BONIFACII P. P. *Clausula derogatoria.*
 VIII. Prædecessoris Nostrî de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis (dummodò non ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium trahatur) aliisq; Apostolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

IX. Cæterum, quia difficile foret præsentis literas ad *Exemplorum fides.*
 singulos

singula loca, ubi opus fuerit, deferri, volumus & dictâ auctoritate decernimus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die decima Iulii, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Pontificatus Nostri anno tertio.

D V B I V M III.

An Papa possit Concordatis Germaniæ derogare?

Quæstio
difficilis
resolutio-
nis.

§. I. **A**rdua est hæc quæstio, in utramque partem à DD. variè disputata: aliis negativam, aliis affirmativam sententiam tenentibus.

Argumen-
ta senten-
tiæ nega-
tivæ. Pri-
mum.

§. 2. Negativam suadent sequentia argumenta. *Primò*, quod pacta, seu contractus publici, sicuti sunt Concordata, utramque partem contrahentem æqualiter complectantur & obligent; cum sint individua & correspectiva, & correlativorum idem sit iudicium, *c. pervenit. 3. de iureiur. Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 24.* adeoq; nequit à Papa contrahente, sine alterius partis consensu, illis derogari, uti habetur in Constitutione Iulii III. Pontificis relatâ suprâ *hoc tit. 3. dub. 1. §. 12.* Quin & nihil est, quod ampliore luce præfulgeat, quàm recta fides in Principe *l. inter claras. 8. C. de sum. Trinit. gloss. in c. ad Apostolica. 2. de sent. & re iudic. in c.*

Secundum. §. 3. *Secundò*, quia etiam Princeps contrahendo obligatur civiliter & naturaliter, *Restaur. trac. de Imper. quæst. 114.* nam in con-

in contractibus Princeps consideratur ut privatus, qui à Principio contrahere potest, vel non, sed iam initum observare tenetur, sicut & privatus, *text. in l. sicut. §. C. de obligat. & aff. Reginald. lib. 13. cap. 17. num. 168. Azor. instit. moral. part. 1. lib. 5. cap. 11.* si enim foret in arbitrio Principis contractum infringere, nullus cum eo contrahere vellet, & commercio hominum careret contrahendo, quod esset absurdum, ut qui est Princeps omnium, commercio omnium careret, & qui est omnium Præful, esset omnium exul. *Bald. in l. Princeps. ff. de leg.*

§. 4. Tertiò, contractus à iure gentium ducit originem, & cui Princeps derogare non potest *c. 1. de probat. & gloss. in l. 2. C. de precib. Imp. offer. l. ex hoc iure. §. ff. de iustit. & ius gentium est æternum, & vicissitudinem non admittit. §. sed naturalia quidem iura. instit. de iure naturali, gent. & civili.* Concordata autem Germaniæ sunt eiusmodi, ergò Pontifex iis derogare non valet; ut nec eius successor, quia successor est una & eadem persona cum suo decessore, *Authen. de iure iur. à morien. prest. col. 5. c. 1. ibi prædecessores suos. de probat. maximè propter clausulam Decreti irritantis, quæ etiam ligat manus Papæ, c. quodam. 40. ibi Dominic. de præben. in 6. VVames. in consil. canonic. tom. 1. consil. 32. num. 12. & seq. plura vide apud Rebuff. ad Concord. Gallia. in præfat. ad rubric. de collat. vers. contrarium credo verius. Leoninum consil. 50.*

§. 5. Verùm his non obstantibus, affirmativa nobis est amplectenda, sub distinctione tamen, quâ utraque sententiã videtur posse conciliari. *Respondeo itaque,* quod Papa pãssim pro arbitrio, & sine legitima causa nequeat Concordatis Germaniæ derogare; bene tamen dum iusta & rationabilis id exigat causa, puta, Ecclesiæ utilitas, vel necessitas, aliave similis pro locorum & temporum circumstantiis. Priorem partem probant argumenta *suprà* pro sententiã negante adducta; quæ & sub prædicta distinctione commodè solvuntur. Posteriores verò convincit imprimis summa & absoluta potestas à Christo immediatè proveniens, quæ in Pontifice uti capite ministeriali & Vicario residet, de rebus, & præsertim beneficiis & officiis Ecclesiasticis in Ecclesiæ utilitatem disponendi & dis-

Tertium.

Affirmativa magis placet.

penlandi, *Clem. ut lite penden. in fin.* quam nec per ulla pacta à se adeò abdicare vult, aut potest, quin semper penes se majorem retineat. *c. dudum. 14. de preben. in 6. Gonzalez ad reg. 8. §. 1. proem. num. 10. & seq. Suarez contra Regem Anglia lib. 4. cap. 34. num. 22, 23. & 24. Diana resolut. moral. part. 5. tract. 1. resolut. 14.* eo quod quis juri privato pro se, & in suam privatam utilitatem, non verò juri publico, & quidem, ut hinc Divino publicam Ecclesie utilitatem concernenti renuntiare possit per *l. iurigentium. 7. §. ait prator. ff. de pactis.* Et implicat, ut caput corporis Hierarchici, vel sacri politici, quò tale consideratum, non sit caput, nec habeat potestatem capiti ejusdem corporis Hierarchici jure Divino competentem, cum per illam potestatem in esse capitis constituatur per *l. potestatis. 215. & ibi DD. ff. de verbor. significat.*

Quia Concordata Germanie habent vim privilegii.

§. 6. Ad hæc, Concordata Summi Pontificis cum aliquo Rege, seu Principe, quantum est ex parte ipsius Papæ, habent non tam vim pacti, quàm cujusdam privilegii, prout hæc Concordata Germaniæ, quæ sunt maximè favorabilia, & per quæ ex mera Pontificia benignitate Ordinariis collatoribus indulgetur alternativa mensium: ubi juxta Regulam IX. Cancellariæ Apostolicæ tantùm habent quatuor menses, in quibus beneficia vacantia conferant: unde sicut privilegium revocari potest, ita & Concordata, *Rebuff. ad Concord. Gallia tit. de approbat. conventorum. vers. privilegii. Branden ad Concord. Germania, quest. 8. num. 3. Suarez contra Regem Anglia. lib. 4. cap. 34. num. 22, 23. & 24. Malderus in 1. 2. D. Thoma quest. 96. art. 4. Layman Theol. moralis lib. 4. tract. 9. cap. 10. num. 3. Diana resolut. moral. part. 1. tract. 2. resolut. 96. & part. 5. trac. 1. resolut. 14. D. Remou-champs in tract. de Coadiutor. cap. 5. num. 22.* Quam sententiam etiam Rota Romana comprobavit in una *Leodien. Canonicatus. 35. Martij. 1610. coram R. P. D. Sacrato* hisce verbis. *Et quæ aliàs dicuntur, quod Concordata Germaniæ habent vim contractus, vel non sunt vera, quia spiritualia non cadunt in commercium, sed expediuntur per viam gratiæ: & Papa per huiusmodi Concordata nihil de novo acquisivit, sed multum de iure suo remisit, unde remanet privilegium merum, hæcenus Rota.*

§. 7. Secti

§. 7. Sed nec obstat, etiam si concesserimus Concordata *Nec etiam obstat ratio contractus.* Germaniæ habere vim contractus; quia certum est, quod Princeps possit ex causa à pactis & contractibus, præsertim cum suis subditis in eis recedere, & illis derogare, *DD. in c. in nostra, de iureiur Felin. in c. novit ille. 13. de iudiciis. num. 8. & alii citati apud Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 31. Anton. Butrio in c. cum M. Ferrariens. num. 11. de constit. Paulus Paris. consil. 11. num. 51. & seq. vol. 1. Suarez & Diana locis cit. Rebuffum refutantes.* Vbi eam inter Papam, & Principem laicum statuunt differentiam, quod hic, si quid privilegii & favoris facit Ecclesiæ, per aliqua Concordata vel privilegia, omninò id facit superiori, & non subdito, & idè manet irrevocabile per illius potestatem; sed Papa quicquid favoris, aut privilegii facit Principi laico, cum semper faciat sibi subdito in spiritualibus, idè semper remanet à se revocabile, si ita postulet ratio boni spiritualis, & bonum regimen ipsius Ecclesiæ. Quò facit, quod Princeps subditis concedendo venationem, cum iisq; concordando, ut certo loco, vel tempore venentur, possit ex causa publicæ utilitatis contravenire, subditisq; venationem inhibere, *Navar. in manuali confessar. cap. 17. num. 124. Binsfeld. in tract. de iniur. cap. 4. quest. 4. conclus. 7. Gregor. Mor. de monte nigro. in tract. de iure venandi. part. 1. cap. 2. num. 59. 60. & 61.*

§. 8. Hinc bene concludit *R. P. Crusius comment. Hayan. Nam Princeps potest ex causa contractus derogare.* *tom. 2. tract. 2. resolut. quest. princip. VI. cap. 2. §. 22. num. 350. ex DD. ibidem adductis,* quod Princeps Constitutioni suæ, quæ transit in contractum, seu pactum gratuitum, dummodò ex hoc in alium non sit translatum, nec transferatur dominium, possit ex causa derogare; eo quod omnis Constitutio & dispositio intelligatur rebus eodem modo se habentibus; si secus, possit ab illa, non tantum ipse, sed & ipsius successor recedere, *VVames. in consil. canon. tom. 1. consil. 300. num. 4.* quando nimirum dispositio ea transit in eiusmodi contractum dominii non translative, & qui habeat tractum successivum, & respiciat tempus futurum; quod si tamen inter Principem & subditos intervenisset contractus onerosus, vel etiam gratuitus, unde in subditos translatum esset dominium, tunc ille

à Principe invitis subditis revocari non posset; nisi aliud natura contractus inferret, *DD. communiter in c. 1. de probat. l. fundi. C. de fundo patrimon.* Atqui in presentiarum Constitutio *Nicolai V.* Pontificis, ut illud gratis admittamus, transivit quidem in pactum seu contractum cum subditis initum, sed gratuitum, ex quo in ipsos subditos contrahentes non est translatum dominium, isq; habet tractum successivum, ac respicit tempus futurum. Igitur ab hac Constitutione, quæ transivit in pactum gratuitum, seu Concordata Germaniæ, poterit ex causa Pontifex, etiam invitis subditis, decedere, illiq; derogare.

*Idem probatur de-
versis ex-
emplis.*

§. 9. Dein conclusio nostra firmatur factis diversorum Pontificum, qui persæpè dum iusta publicæ utilitatis suberat causa, Concordatis Germaniæ derogarunt; & nominatim *Sixti IV.* qui in Indulto Universitati Lovaniensæ concessio, expressè iisdem Concordatis derogavit in verbo. *& Nationi Alemanica.* & aliorum complurium. Tum etiam elicitur ex communi stylo, quo passim derogare solent Pontifices Concordatis Germanicis, in facultatibus nominandi, quas novo Imperatori concedunt ad beneficia Ecclesiastica, quæ vulgò preces primariæ, seu Imperiales dicuntur. *S. nec non Concordatis Nationis Germanicæ &c.* quâ derogatione non uterentur, nisi scirent ei locum esse, & acceptari posse beneficia etiam in alternativis Ordinariorum mensibus.

*Et Rota
Romana
Decisioni
sua.*

§. 10. Ac proinde quod Papa possit Concordatis Germaniæ derogare, disertis verbis sæpius decidit Rota, in allata decisione *suprà tit. 1. dub. 8. §. 7. ibi, num. 4.* & geminatis etiam vicibus in una Tungren. Canonicatus. anno 1612. pro q. *Quirino Bilsain* Clerico Leodiensi, qui à Sede Apostolica obtinuerat jus coadjutoriæ cum derogatione Concordatorum, contra bon. mem. Reverendissimum D. Avunculum meum *Richardum Paulum Trarium*, nuper defunctum Suffraganeum Leodiensem, tunc temporis ex collatione Ordinarii de eodem Canonicatu provisum Nec non etiam coram Decano *Cocchino* 4. *May* 1618. quæ decisio extensè refertur à *Chokier ad preces primar. sect. 4. post lit. C. vers. denique postremò.* & ita passim

tenent

tenent Mandos, in reg. 2. cancell. quest. 2. vers. imò etiam in Gallia. Simonetta seu eius additionator in tract. de reservat. quest. 1. num. 5. & quest. 99. num. 25. & 26. Braden ad Concord. quest. 8. per tot. & quest. 12. prope fin. & eiusdem notab. 1. Gabriel commun. conclus. lib. 3. conclus. 6. de iure quest. non toll. num. 1. & 5. ac seq. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 28. num. 26. VVames. in consil. canon. tom. 1. consil. 47. num. 4. in fin. & consil. 255. num. 3. & seq. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. num. 15. Malderus loco cit. Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 7. 21. 22. 23. & 31. & ad preces primar. sect. 5. §. 2. vers. His nihilominus &c. Layman Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 10. num. 3. & tract. 9. cap. 10. num. 3. Suarez & Diana locis præcitatis supra hoc dub. 5. §. 6. Nicolaus de Remouchamps in tract. de coadiutorijs. cap. 5. num. 22. 23. & 24. R. P. Crusius loco supra cit. num. 349. & 397. ac seq.

§. II. Neque officit Decretum irritans Concordatis appositum, quia hoc non ligat, nec ligare potest manus Papæ, ut constat ex ratione conclusionis nostræ; præsertim cum non dicat per Nos & successores Nostros. ut aliàs resolutum fuit à Rota in una Metensis & Leodien. Canonicatus. & aliis diversis apud Braden ad Concord. notab. 1. Marchesam. part. 3. de Commission. in una Elven. beneficij. inter decisiones sub finem d. par. relatas, fol. mihi. 607. Garciam de benef. part. 5. cap. 1. num. 85 & seq. Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 19. & 22. & ad preces primar. sect. 5. §. 2. vers. His nihilominus. quibus adde VVames. præcit. consil. 255. n. 3. 6. & 9. vide supra tit. 1. dub. 11. §. 3.

§. 2. Sicut porrò Papa non potest sibi ligare manus c. fin. & ibi gloss. de rescript. in 6. & c. innotuit. 20. de elect. ita nec etiam Papa Papæ legem imponere valet, cum par in parem non habeat imperium d. c. fin. ibi gloss. verb. temporibus & eod. c. innotuit. et l. digna vox. 4. C. de legib. Rota in una primiceriatu Montis Alti. coram R. P. D. Verospio. 8. Iunii 1643. relata à Diana sub fin. part. 7. resolut. moral. Ratio est, quia Pontifices successores non à decessoribus suis, nec à Prælati Germaniæ, sed à Deo immediatè, hoc ipso, quod sint legitime electi in caput Ecclesiæ, suam accipiunt potestatem, ut supra hoc tit. dub. 2. §. 6. ex decisionibus Rotalibus retuli. Adeoq; eius potestatis nulum non videntur decessores ipsius, vel Prælati Germaniæ

Nec officit
Decretum
irritans.

Papa nec
sibi, nec
successori
suo potest
ligare man-
us.

per pactum restringere & impedire posse; quia iuxta distinctionem, quam ponit *Ferretus in c. 1. de probat. num. 6.* aliud est quoad hoc in Imperatore, aliud in Papa; licet enim Imperatoris successor non à decessoribus suis, sed per electionem, ius in Imperium consequatur; tamen si ipse nomine Imperii contrahat, tunc etiam successor Imperatoris ligetur; & rectè, quia ius aliquod ad Imperium ab ipso accipit; at hinc nihil simile de Pontifice, eiusq; successore definit, ubi secus seres habet; cum Pontifex ius suum non ab Ecclesia, sed immediatè à Christo accipiat. Huc accedit, quod Princeps regalia Principalis status, vel ius regium in præiudicium sui successoris, qui ab ipso titulum non habet, per pactum abdicare non possit, *Felin. in c. 1. de probat. num. 5. & 6.* Igitur à pari nec videtur Pontifex prædecessor, qualis fuit in hisce Concordatis *Nicolaus V.* supremam potestatem in præiudicium successoris, qui ab ipso titulum non habet, per pactum abdicare, & renunciare posse. ita non minùs eleganter, quàm eruditè argumentatur *R. P. Crusius loco cit. num. 403.*

Pontifex
rarissimè
Concorda-
tis derogat.

13. Advertendum tamen est, quod quamvis in potestate Pontificia sit Concordatis Germaniæ derogare, id tamen rarissimè facit, vel deficiente iustâ causâ, vel voluntate contraveniendi: ita enim *Paulus V.* Pontifex, ut refert *Chokier ad preces primar. sect. 5. §. 2. vers. His nihilominùs. in una Paderbornen. Canonicatus.* dum intellexit clausulam Concordatorum derogatoriam provisioni suæ insertam, eandem declaravit irrepsisse per inadvertentiam. Similiter anno 1613. in gratia motus proprii concessa antememorato q. Reverendissimo Domino Avunculo meo *Richardo Paulo Stravio, & Guilielmo Vossio* litigantibus contra *Quirinum Bilstein* Clericum Leodientem, pro Canonicatu & Præbenda, ac Scholastria Tungren in quorum regimine idem *Bilstein* coadiutorem perpetuum in locum cuiusdam *Lamberti Gilkens* deputari se à Sede Apostolica obtinuerat, cum expressa derogatione Concordatorum Germaniæ, in præiudicium Ordinariæ provisionis dictis *Richardo, & Guilielmo*, vigore Concordatorum factæ, declaravit idem Pontifex *Paulus V.* nec suam, nec decessoris sui mentem fuisse derogare
Concor:

Concordatis Germaniæ in deputatione dictæ coadiutoria: ideoq; collationem & provisionem de eisdem Canonicatu & Scholastria ad favorem *Bilstein* factas, & literas præfatas sub- & obreptitias censendas, eaq; uti & prædictam derogationem Concordatorum revocavit, atque supra nominatos *Richardum*, & *Guilielmum* in possessionem dictorum Canonicatus & Scholastriæ immittendos decrevit sequenti Motus proprii gratiâ.



PAULUS PAPA V.

Pauli Papæ 5. Constit. super Concordatiâ Germaniæ.



AD perpetuam rei memoriam. Ex Pastoralis officii Nobis Divinâ dispositione commisi debito fideles quoslibet, præsertim Clericos à litium & controversiarum inter eos pro tempore subortarum molestiis maturè explicari cupientes, lites & controversias huiusmodi extinguimus, ac eiusdem officii Nostri partem interdum interponimus, prout conspiciamus salubriter expedire.

Exordium

Num. I. Aliàs siquidem postquam in Concordatis inter Sedem Apostolicam, & inclytam Nationem Germanicam initis, & firmatis caveatur expressè, quod beneficia sub illis comprehensa, cessantibus tunc expressis reservationibus, extra Romanam Curiam in *Februario*, & quinque aliis etiâ tunc expressis mensibus alternatis pro tempore vacantia, per eos, ad quos iure Ordinario beneficiorum huiusmodi collatio, & alia dispositio pertineret, illa

Refero Pontifex senorem Concordatorum Germaniæ & statum controversia.

quoties illa deinceps vacare contingeret, conferrentur, nec ipsi per quamcumque aliam reservationem, seu gratiam expectativam, aut quamcumque aliam collationem, vel dispositionem Apostolicam impedirentur: sicut accepimus, dilectus filius *Quirinus Bilstein* assertus Clericus, se q. *Lamberto Gilkens* olim Canonico & Scholastico Ecclesie Beatæ Mariæ Virginis, Oppidi Tungren. Leodiësis Diocesis, tunc in humanis agenti, coadjutorem perpetuum & irrevocabilem in regimine, & administratione Canonatus & præbendæ, ac Scholastriæ dictæ Ecclesie, quos dictus *Lambertus* tunc obtinebat, per fel. recor. CLEMENTEM Papam VIII. Prædecessorem Nostrium Apostolicâ auctoritate constitui & deputari, sibiq; de Canonatu & præbenda, ac Scholastria præfatis, ex tunc, prout postquam illos per cessum, vel decessum ipsius *Lamberti*, aut aliâs quovis modo vacare contingeret, provideri, successiveq; asserens verum annum valorem fructuum, reddituum ac proventuum Canonatus & præbendæ, ac Scholastriæ præfatorum, in dictis literis minimè expressum, nec præfatis Concordatis derogatum fuisse, sibi ab eodem CLEMENTE Prædecessore, quod literæ prædictæ valerent, plenamq; roboris firmitatem obtinerent, & sibi suffragarentur in omnibus & per omnia, perinde ac si in illis, quod fructus, redditus & proventus præfati certum tunc specificatum valorem non excedebant expressum, ac Concordatis prædictis expressè derogatum fuisset, concedi, & indulgeri, simulq; dictis Concordatis derogari obtinuit,

nuit, prout in dictis Concordatis, ac prædicti Prædecessoris, nec non in Nostris exinde, pro eo, quod dictus Prædecessor, antequàm eius literæ desuper expedirentur, rebus fuerat humanis exemptus, desuper confectis litteris plenius continetur: obitu autem dicti *Lamberti* extra Romanam Curiam de mense *Februarii* anni Domini 1606. defuncti superveniente, de Canonatu & præbenda, videlicet *Richardo Paulo Stravio* Clerico, de Scholastria verò præfatis *Guilielmo Vossio* Præsbytero, dictæ diocesis dilectis filiis per tunc existentem Præpositum dictæ Ecclesiæ, uti Ordinarium Canonatus & præbendæ, ac Scholastiæ prædictorum collatorem, iuxta formam & tenorem Concordatorum huiusmodi, extra Romanam Curiam ordinariâ auctoritate provisum extitit: hincq; lis & causa in vim specialis rescripti à Nobis emanati inter *Richardum & Guilielmum* ex una, ac *Quirinum* præfatos ex altera partibus, super Canonatu & præbenda, ac Scholastria prædictis, ad quos ipse *Quirinus* prætextu provisionis sibi de illis, ut præfertur, factæ, huiusmodi ius habere prætendebat, introductâ, diuq; primò coram quondam Magistris *Alexandro Litta*, & successivè coram *Bernardino Scotto* Capellanis Nostris, & Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, postremoq; coram Venerabili fratre Nostro *Francisco* Archiepiscopo Damasceno, etiam olim Causarum eiusdem Palatii Auditore, nunc verò unius ex Auditoribus dicti Palatii

locum ex indulto Apostolico tenente discussâ, nec non eorundem Canonatus & præbendæ, ac Scholasticæ possessio, in qua dictus *Quirinus* intrusus forsan tunc reperiebatur, apprehensa, & fructus sequestrati fuerint, lisq; & causa huiusmodi coram eodem *Francisco* Archiepiscopo, & locum tenente adhuc pendeat indecisa; hoc verò non sine gravi Concordatorum, & Ordinarii Collatoris, ac *Richardi & Guilielmi* prædictorum præiudicio, dispendio & perturbatione evenit.

*Declarat
nec suam,
nec decesso-
ris sui in-
tentionem
fuisse, di-
ctis Concor-
datis dero-
gare; pro-
inde litem
motam ex-
tinguit.*

II. Nos igitur scientes, nec dicti *CLEMENTIS* Prædecessoris, nec Nostram mentem & intentionem fuisse, Concordatis huiusmodi per provisionem dicto *Quirino*, ut præmittitur, factam, & literas prædictas derogare, nec illa in aliquo lædere, de præfatis omnibus & singulis plenè & sufficienter informati, volentesq; pro Pastoralis officii Nostri debito *Richardum & Guilielmum* præfatos à litium huiusmodi ulterioribus dispendiis & molestiis tempestivè explicare, indemnitati, paci, & quieti consulere, ac aliàs in præmissis oportunè providere, ipsosq; *Richardum, & Guilielmum* à quibusvis Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, motu proprio, non ad eorum, vel alterius pro ipsis Nobis desuper oblatae petitionis instantiâ, sed de Nostra mera liberalitate, ac ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, collationem & provisionem de Canonatu, & præbenda, ac

Scho

Scholastria prædictis dicto *Quirino* ab eodem CLEMEN-
 TE Prædecessore sic factas, & literas præfatas tanquam
 subreptitias, ac obreptitias, & præter, ac contra dicti CLE-
 MENTIS Prædecessoris, & Nostram intentionem quoad
 derogationem, & læsionem Concordatorum huiusmodi
 emanatas, cum omnibus & singulis decretis, etiam irritan-
 tibus, aut clausula sublata, aliisq; clausulis, quamtūvis præ-
 gnantissimis, nec non inde sequutis quibuscūque in omni-
 bus, & per omnia, perinde, ac si numquam emanassent, A-
 postolicâ auctoritate tenore præsentium revocamus, cassa-
 mus, annullamus, irritamus, ac penitùs abrogamus, viri-
 busq; & effectu evacuamus, ac revocatas, cassatas, annulla-
 tas, irritas, abrogatas, ac viribus & effectu evacuatas, nulli-
 usq; roboris, vel momenti unquam fuisse & esse ac fore, &
 pro talibus censeri & reputari, nec ullo modo attendi, nul-
 lumq; per eas dicto *Quirino*, vel cuivis alteri ius in Ca-
 nonicatu & præbenda, ac Scholastria prædictis, vel ad il-
 los, seu illorum fructibus, redditibus, proventibus, & perti-
 nentiis quibuscumq; tribui aut acquiri, minusq; sibi suffra-
 gari potuisse, nec de cætero posse Apostolicâ Auctoritate,
 motu, scientiâ, ac potestatis plenitudine similibus decerni-
 mus, & declaramus, litesq; & causas huiusmodi in qua-
 cumque instantia, & coram quibuscumque ludicibus, et
 tiam Causarum dicti Palatii Apostolici Auditoribus, seu
 illorum loca tenentibus pendeant, ac in quibuscumque sta-
 tu, & terminis reperiantur, etiamsi quomodolibet instru-
 ctæ, & usque ad illarum conclusionem perductæ, ac quæ-
 cumque

cumque resolutiones ad favorem, & commodum eiusdem *Quirini* factæ fuerint, quas omnes abrogamus, & ad Nos etiam avocamus, easq; penitus & omninò extinguimus, ac prædicto *Quirino*, & quibuscumque aliis desuper interesse habentibus, seu habere prætendentibus, super præmissis omnibus, & singulis perpetuum silentium (sumptibus & expensis utrimque quomodolibet factis, cuiuscumque summx & quantitatis sint, confusis & compensatis) imponimus; & nihilominùs dicto *Francisco* Archiepiscopo, & locum tenenti, aliisq; Auditoribus prædictis, nec non quibusvis iudicibus Ordinariis, vel delegatis districtè præcipimus & interdiciamus ne ulterius de statu, & meritis causæ & causarum, ac iuribus, & prætensionibus partium huiusmodi, nunc & quodcumque in futurum cognoscere, minusq; dictum *Quirinum*, vel eius procuratores, aut alios interesse quomodolibet habentes, vel prætendentes ad illarum & illorù prosecutionem, etiam prætextu cuiusque commissionis, seu rescripti admittere, vel desuper quodcumque audire, aut aliàs in causa, & causis huiusmodi ad ultteriores actus procedere quoquo modo audeant, seu præsumant.

*Insuper
declarat
hasce lites
vas semper
firmas de-
bere per-
manere.*

III. Decernentes præsentis literas nullo unquam tempore, etiam ex eo, quod dictus *Quirinus*, & quicunque alii interesse habentes, seu prætendentes, ad id vocati non fuerint, seu quocumque alio prætextu, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intètionis Nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, annullari, retractari, infringi,
in ius

in ius vel controversiã vocari, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, aut etiam motu pari concedi posse, ne que easdem sub quibusvis similibus, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam à Nobis, & quibuscumque aliis Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, dictaq; Sede sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, pro tempore faciendis comprehendis, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinũ, & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data, per *Richardum & Guilielmum* prædictos, quandocumque eligenda concessas esse & fore, suosq; plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac tã *Richardo, & Guilielmo*, quàm Præposito pro tempore existenti prædictis suffragari, & ab omnibus, ad quos quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

IV. Sicq; per *Franciscum* Archiepiscopum, & De rebus irritis. alios Auditores prædictos, nec non quoscumque iudices Ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, etiam de latere legatos, dictaq; Sedis Nuncios, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere: ac irritum & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel

ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus singulis præmissis, ac Nostrâ *de iure alteri quasito non tollendo*, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Exemplis
f'os & pa-
risio faci-
enda.*

V. Volumus autem, quod præsentium copia cum originali collationata, & per unum ex dilectis filiis Cursoribus Nostris in actis Notarii causæ & causarum huiusmodi dimissa, vim validæ & efficaci inhibitionis obtineat, quodque prædictus *Franciscus* Archiepiscopus & locus tenens, statim visis præsentibus, suam, seu aliam quamcumque inhibitionem moderari, ac sequestra super possessione Canonatus & præbendæ, ac Scholastiæ prædictorum, illorumque fructibus huiusmodi quomodolibet apposita in favorem *Richardi, & Guilhelmi* prædictorum revocare, & relaxare, ipsosque & eorum quemlibet in corporalem, realem, & actualem possessionem Canonatus & præbendæ, ac Scholastiæ prædictorum respective immittere, seu iam antea immixtos manutenere & conservare, ac quietos, & pacificos dimittere debeat, & teneatur.

*Sanctio
pœnalis.*

VI. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, scientiæ, intentionis, Motus proprii, revocationis, cassationis, annullationis, irritationis, abrogationis, evacuationis, declarationis, avocationis, extinctionis, impositionis, præcepti, interdicti, decreti, & voluntatis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum

Iorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ M.DC.XIII, quinto Kalend. Aprilis, Pontificatus Nostri anno octavo.

TITULUS IV.

De Concordatis Regni Poloniae.

DVBIVM VNICVM.

Quæ & qualia sint Concordata cum Regno Poloniae inita?

§. 1. **A** Præsenti tractatu minimè alienum existimavi, paucis delibare Concordata inter Sedem Apostolicam, & Regnum Poloniae, sub *Leone X.* Pontifice Maximo inita & à *Clemente* Papa VII. confirmata & ampliata, quæ penè in omnibus coincidunt cum Concordatis Nationis Germanicæ, eo excepto, quod idem *Clemens VII.* expressè concesserit nullas coadjutorias in quibuscumque beneficiis, etiam familiarium & commensalium Papæ, ac Cardinalium, nec non majoribus dignitatibus post Pontificalem in Cathedralibus, & principalibus in Ecclesiis Collegiatis admittendas, nisi de ipsorum Regis Ordinariorum loci, & Capitulum Ecclesiæ, in qua exiterint, consensu, sed eadem beneficia in sex mensibus Ordinariis vacantia, ad ipsorum Ordinariorum collationem & dispositionem, non obstante ullâ reservatione Apostolicâ, plenè spectare debere.

Concordata Poloniae capiunt etiam maiores dignitates post Pontificalem in Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis.

§. 2. Insuper nec hisce Concordatis unquam derogatum tenferi, aut derogari posse, nisi in supplicatione manu Pontificis

Nec his Concordatis Papa

*derogare
potest, nisi
cum ex-
pressionem
causæ de-
rogationis.*

ficus signata, & cum expressione causæ derogationis, indivi-
dua, specifica & absoluta ea de re fiat mentio; alioquin re-
validationi locus sit, uti ex eorundem hinc subjuncto tenore
clariùs potest videri.



CONCORDATA REGNI
POLONIÆ.

CLEMENS PAPA VII.

Exordium



D perpetuam rei memoriam. Cùm singu-
larem fidei constantiam & integritatem, ac
eximium devotionis affectum, quibus cha-
rissimus in Christo filius Noster SIGIS-
MUNDUS Poloniæ Rex illustris, in Nostro, & Apostolicæ
Sedis conspectu semper claruit, & continuò claret, paternâ
meditatione revolvimus, dignum atque debitum cense-
mus, ut quæ eius consideratione ab eadem Sede proinde
procefferint, promptâ benevolentiam Nostri muniminis
præsidio solidemus: & ut sublato quovis ambiguitatis dis-
pendio, in sui roboris integritate firmiter, ac per amplius
fructuosa reddantur, Nostri officii partes favorabiliter ex-
tendamus.

*Clemens
Papa 7.
Constitutio
ad favo-
rem Polo-
norum.*

*Narrat
hic Ponti-
fex diver-
sa Poloniæ
Prælatiis*

Num. I. Dudum siquidem per fel. mem. LEO-
NEM Papam X. Prædecessorem Nostrem acceptò, quod
licet diversæ alternativarum literæ diversis Ordinariis in
Regno

Regno Poloniæ à Sede prædicta emanatæ fuissent, di-^{concessa}
 ctusq; Prædecessor per diversas Constitutiones suas, Præ-^{fuisse al-}
 latis & aliis personis Ecclesiasticis, ad quas dignitatum & ^{ternativa}
 aliorum beneficiorum collatio, provisio, præsentatio, ele-^{gratia pri-}
 ctio, seu quævis alia dispositio pertinebat, ut de quibusvis ^{viligia.}
 dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis,
 canonicatibus & præbendis, nec non aliis beneficiis Eccle-
 siasticis, cum cura & sine cura, Sæcularibus & Regulari-
 bus, ad eorum collationem, provisionem, præsentatio-
 nem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem perti-
 nentibus, quæ in certis tunc expressis mensibus vacare
 contingeret, ac si à Sede præfata, vel Legato eius expecta-
 tivæ gratiæ, aut super illis speciales, vel generales reserva-
 tiones non emanassent, Ordinariâ auctoritate liberè dis-
 ponere possent, concessisset; ac ex tunc quidquid secus
 super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter vel igno-
 ranter contingeret attentari, irritum & inane decrevisset.

II. Nihilominus nonnulli speciales vel generales refer-^{Quibus}
 vationes, & alias gratias in dicto Regno cum derogatione ^{etiam sapi-}
 & suspensione literarum alternativarum, & Constitutio-^{is præsu-}
 num prædictarum, & aliàs extorserant, & in dies extor-^{scaretur,}
 querentebantur: quò fiebat, ut Ordinarii Collatores Res-^{id o his}
 gni huiusmodi, qui Reipublicæ ipsius Regni Consilarii ^{Pentifex,}
 existebant, & diversa onera sustinebant, quò minùs eorum ^{gratias}
 Ordinariâ auctoritate super his uti, vel iuxta alternatives ^{prædictas}
 & constitutiones prædictas, de beneficiis ad eorum dis- ^{amplando.}
 positionem pertinentibus, personis idoneis & bene meri-
 tis providere possent, impediabantur, in eorum & Reipu-
 blicæ

blicæ Regni huiusmodi præiudicium, & detrimentum non modicum; dictus Prædecessor motu proprio, & ex certa scientia, nec non consideratione præfati SIGISMUNDE Regis, tam in Lateranensi Concilio novissimè celebrato, quàm aliàs, quascumque Constitutiones suas in favorem Ordinariorum editas, cum irritantibus & aliis in eis contentis decretis, & clausulis innovando, per suas literas perpetuò statuit, ordinavit & decrevit, quod nulla beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, sæcularia vel Regularia, cuiuscumque qualitatibus forent, in dicto Regno consistentia, in mensibus Ordinariis collatoribus per Constitutiones alternativas, & Constitutiones prædictas concessis, pro tempore vacantia, sub quibusvis specialibus, vel generalibus reservationibus, unionibus, expectativis, & aliis gratiis, mandatis & indultis, quocumque nomine censerentur, & quascumque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias, ac alternativas, & Constitutionibus prædictis, nec non literis Prædecessoris huiusmodi expressè derogantes continentibus, etiam Cardinalibus, ac suis, & pro tempore existentis Romani Pontificis, etiam antiquis & descriptis familiaribus, & aliis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis existentibus, per eundem Prædecessorem & Sedem prædictam pro tempore concessis, & concedendis minimè comprehenderentur, nec comprehendi, aut illa minimè acceptari possent seu deberent, sed dicti Ordinarii collatores de illis, dummodò dispositioni Apostolicæ generaliter reservata, & affecta non existerent, iuxta facultatem eis per alternativas, & Constitutiones

tiones.

tutiones prædictas concessam, Ordinariâ auctoritate dis-
ponere possint, perinde ac si reservationes, uniones, expe-
ctativæ, & aliæ gratiæ, mandata & indulta cum huiusmo-
di derogationibus nullatenus emanassent, & in posterum
emanarent, ac nonnulla alia tunc expressa decrevit, prout
in eisdem literis plenius continetur.

III. Cum autem sicut accepimus, à nonnullis hæsitari
posset, an beneficia consistentia in Regno huiusmodi, in
dictis mensibus Ordinariis collatoribus concessis, pro tem-
pore vacantia, sub coadiutoriis, & regressibus, ac accessio-
bus, etiam de consensu ipsorum beneficiorum possesso-
rum pro tempore concessis, comprehensa censeantur, &
comprehendi possint. Nos, ne literæ LEONIS Prædeces-
soris huiusmodi eisdem Ordinariis collatoribus, quoad
hoc minùs utiles reddantur, sed semoto huiusmodi hæ-
sitationis obstaculo, votivum sortiantur effectum, provis-
dere volentes, motu simili, non ad alicuius Nobis super
hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra mera deli-
beratione, & ex certa scientia, nec non intuitu eiusdem SI-
GISMUNDI Regis, literas LEONIS Prædecessoris huius-
modi, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis,
auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus
& innovamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere
decernimus.

IV. Et ad hoc, ut beneficia prædicta in dicto Regno
consistentia, etiam si Canonicatus & Præbendæ, dignita-
tes, etiam maiores post Pontificales & principales perso-
natus, administrationes vel officia, etiam curata, & electiva

Et literas
Leonis Pa-
pæ 10 ap-
probat.

Declaratq;
per nullas
capit. 10-
tas etiam
in dig sta-
tibus &

quibusvis
beneficiis,
gratia al-
ternativa
præjudica-
ri posse.

in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, & ex quavis causa, etiã ratione familiaritatis continuæ, comensalitatibus Nostræ, ac etiam alicuius Cardinalis viventis, cuius consensus requiri deberet, generaliter reservata fuerint in sex mensibus, videlicet, *Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris & Decembris*, Ordinariis per literas alternativas, aut quævis alia privilegia & indulta Apostolica, ut præfertur, concessa, & concedenda, pro tempore vacantia, sub huiusmodi coadiutoriis, coadiutorum deputationibus, ac regressibus & accessibus per Nos & Romanum Pontificem pro tempore existentem, ac Sedem eandem, etiam de consensu beneficiorum possessorum eorundem, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum prædictis, & quibusvis aliis clausulis & decretis, pro tempore concessis minimè comprehendi, nec comprehensa centeri, sed ipsos Ordinarios collatores de illis in eisdem *Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris & Decembris* mensibus huiusmodi coadiutoriis, & regressibus, ingressibus, & accessibus non obstantibus, etiam si beneficia in Romana Curia, vel extra eam litigiosa existant, dummodò lis super illis mota, seu pendens vera & legitima introducta non fuerit, perinde ac si coadiutoria, regressus, ingressus & accessus huiusmodi concessi, & illa litigiosa non existerent, liberè providere, ac aliàs disponere possint.

Nisi de
consensu
Regis, Or.

V. Quodq; omnes & singulæ coadiutoria, regressus, ingressus & accessus, etiam de consensu beneficiorum possessorum

seffo

fessorum huiusmodi, aut etiam cum derogatione LEONIS ^{diocesis}
 Prædecessoris huiusmodi, & præsentium literarum, alter- ^{Diocesis}
 nativarum etiam Constitutionum prædictarum pro tem- ^{& Capitu-}
 pore concessi, nisi etiã ipsius SIGISMUNDI, & pro tempore ^{li Ecclesia,}
 existentis Poloniae Regis, & loci Ordinarii, ac Capituli ^{in qua be-}
 Ecclesie illius, in qua beneficium huiusmodi fuerit, ad id ^{nificium}
 expressus accesserit assensus, nullius roboris vel momenti ^{existit.}
 existant, auctoritate, & tenore præsentium extendimus,
 & ampliamus; ac quod dicti sex menses *Februarius,*
Aprilis, Iunius, Augustus, October, & Decem-
ber perpetuis futuris temporibus Ordinariis collatoribus
 Regni huiusmodi concessi, & reliqui sex menses dictæ
 Sedi, & pro tempore existenti Romano Pontifici refer-
 vati existant, & esse censeantur. Quodq; LEONIS Præ-
 decessoris huiusmodi, ac præsentis literæ sub quibuscum-
 que revocationibus generalibus & specialibus, ac Can-
 cellariæ Apostolicæ regulis hætenus, etiam per piæ
 mem. ADRIANUM Papam VI. similiter Prædecessorem
 Nostrum editis, minimè comprehensæ fuerint, nec
 sint, neque comprehensæ fuisse, aut esse ceteri, nec in
 genere vel in specie revocari, suspendi, vel aliàs quo-
 modolibet alterari possint, semper validæ & efficaces
 existant, perinde ac si huiusmodi revocationes, Con-
 stitutiones & regulæ etiam per Nos, non emanaf-
 sent nec in posterum per Romanum Pontificem pro
 tempore existentem, & Sedem eandem emanarent,

ac vim validi pacti & contractus, ac statuti inter Nos & eadem prædictam, ac dictos Ordinarios collatores in iurati habeant: collationesq; per Nos & Romanum Pontificem in dictis mensibus Ordinariis concessis, huiusmodi pro tempore factas, nullas & invalidas, nulliusq; roboris vel momenti existere, ac eisdem LEONIS Prædecessoris præfati, & præsentibus literis, nec non in eis contentis, per generalem, non obstantibus literis alternativarum, & indulti Ordinariis collatoribus Regni prædicti, super conferendis beneficiis Ecclesiasticis in mensibus alternatis pro tempore vacantibus concessis, aut quascumque alias speciales vel generales, etiam derogatoriæ derogatorias, ac efficaciores & insolitas clausulas pro tempore concessas nullatenus derogari posse, nec derogatum censi, nisi in supplicatione de super Nostrâ & pro tempore existentis Romani Pontificis manu signata, de singulis literis huiusmodi & illarum data, ac Pontificatus, & causa, propter quam illi derogatur, specialiter, specifica, individua, & expressa mentio facta fuerit, & aliter factæ derogationes nemini suffragentur: & quoties præsentibus derogari contigerit, toties illorum revalidatio de novo & sub quacumque data per Regem & Ordinarios præfatos, & illos de quorum interesse ageretur, eligenda expediri possit.

*De rebus
irritans.*

VI. Et sic non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscunque Iudices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac quicquid secus super his à quoquam, etiam per Nos,
quâ

quavis auctoritate contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Mandantes summistæ pro tempore existenti sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ut literas revalidationis præsentium sub data per interesse habentem, sine alia supplicatione, seu Nostra, ac Romani Pontificis pro tempore existentis licentia expediat, ad omnem interesse habentis requisitionem.

VII. Quocirca Venerabilibus Archiepiscopo Leopoliensi, & Episcopo Olomucensi, ac dilecto filio Scholastico Cracoviensi per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios, præsentem literas & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ordinarium prædictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ præsentem literas, & in eis contenta quæcumque huiusmodi firmiter observari, ipsosq; Ordinarios collatores pacificè illis gaudere: non permittentes eos desuper per quoscumque contra earundem literarum tenorem quomodo libet molestari, contradictores per censuram Ecclesiasticam auctoritate Nostrâ, appellatione postpositâ, compellendo.

VIII. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis: quodq; dicti Ordinarii, seu eorum aliqui de Regulis Cancellariæ Apostolicæ notitiam forsitan non habentes, seu alijs in mensibus Sedi prædictæ

Huius
Constitu-
tionis pu-
blicatio
demanda-
tur certis
Prælati
Polonia.

Clausula
derogato-
ria.

prædictæ reservatis, videlicet *Ianuarii*, *Martii*,
May, *Iulii*, *Septembris* & *Novembris*, aliquas
 personas Ecclesiasticas ad aliqua beneficia præsentarunt,
 seu in illis instituerunt, aut de illis providerunt, vel ea
 commendarunt. Nec non omnibus illis, quæ præfatus
 Prædecessor in dictis suis literis voluit non obstare, con-
 trariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel di-
 visim à dicta Sede sit indultum, quod interdici, suspendi,
 vel excommunicari non possint per literas Apostolicas
 non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum
 de indulto huiusmodi mentionem.

*Sanctio
 pœnalis.*

IX. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc pagi-
 nam Nostræ innovationis, approbationis, decreti, exten-
 sionis, ampliacionis & mandati infringere, vel ei ausu te-
 merario contraire. Si quis autem hoc attentare præsum-
 pserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum
 Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.
 Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Do-
 minicæ millesimo quingentesimo vicesimo quinto.
 Kalend. Decemb, Pontificatus Nostri anno tertio.

TITV.

TITULUS V.

De Concordatis Gallie.

DVBIVM VNICVM

Quæ & qualia sint Concordata Gallie?

§. 1. **U**T curiosus Lector quoque notitiam habeat Concordatorum Gallie cum Sede Apostolica initorum, non minùs gratum, quàm utile futurum arbitratus sum, eorum seriem compendio tradere.

Concordata Gallie exponuntur.

§. 2. Sciendum ergò est, quod post abolitionem pragmaticæ sanctionis, quæ in Regno Franciæ circa provisiones beneficiorum contra Apostolica Decreta, etiam tum vigeat, *Franciscus* ejusce nominis primus Rex Galliarum, anno 1515. Bononiam se conferens, cum *Leone X.* Pontifice Maximo, nomine totius Regni Galliarum, in certa perpetuæ pacis, & concordie puncta convenerit, quorum capita præcipua sunt hæc.

Compendiosa relatio.

§. 3. In primis, ut Rex Gallie faciat nominationem ad Archiepiscopatus & Episcopatus, Abbatias, Prioratus, & Monasteria, & Papa conferat; in aliis verò dignitatibus inferioribus, & beneficiis quibuscumque conceditur Ordinariis collatoribus libera collatio in omnibus mensibus, juxta juris communis dispositionem: ita tamen, quod conferant unum Canonicatum in unaquaque Ecclesia Cathedrali & Metropolitana, uni Magistro, Licentiato, aut Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium studuerit cum onere prædicationis, & S. Scripturæ lectionis; & insuper tertiam partem omnium dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum vacantium in quatuor mensibus anni, videlicet 1. 4. 7. & 10. mense, post acceptationem Concordatorum, similiter

Eorum puncta sequuntur.

M m

Viris

Viris literatis graduatis, & nominatis per Vniuersitates conferant.

*Et expli-
santur.*

§. 4. Denique quod non solum nullæ gratiæ expectatiuæ, nec reservationes generales, & speciales ad beneficia Regni à Sede Apostolica emanare possint, sed neque lites & causæ beneficiales deinceps in Romana Curia tractari & agitari, ut plenius cognoscere licebit ex ipsa *Francisci I.* præfatione, & sublequente *Leonis Papæ X.* Constitutione.



PRÆFATIO FRANCISCI REGIS.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCO-
rum Rex, Mediolani Dux: Astensis Comes,
ac Genuæ Dominus, Omnibus literas has le-
cturis salutem.

*Narrat
hic Rex a-
ctum fuisse
sub Ludo-
vico 12. Re-
ge, & aboli-
tione prag-
maticæ
sanctionis.*

Num. I. Cùm non pridem superstite adhuc Lu-
DOVICO mem, commendabilis Rege, Socero Nostro
(cuius animæ propitiatur Altissimus) sacrū Lateran. Con-
cilium sæpiùs editis decretis, eundem Socerum Nostrium
ad eiusdem Concilii conventū evocasset, cum eoq; Regni
Nostri Curias summas (quas parlamentarias vocamus)
Ecclesiam insuper universam Gallicam, cunctasq; Regni
Nostri gentes, Delphinatusq; Nostri potentatus admo-
nendos censuisset, ut si quid auctoritatis prisce afferre, si
qua iura citare, si rationes consentaneas palàm edisserere
posse considerent, quò minùs sanctio pragmatica eiusdem

Concio

Concilio auctoritatē ac sententiā antiquaretur; abrogaretur, induceretur, irritaq; etiam, & nulla pronunciaretur & schismatica; id infra diem dictis decretis præfixam efficerent. Quo neglecto, talis denique sacro approbante Concilio decerneretur; dudum autem, statimq; Nobis diademático fastigio Divinâ benignitate auctis, Regnumq; auspiciatò ineuntibus, cùm rursus huiuscemodi edicta alia atque alia ab eadem auctoritate manantia, Nobis innotuissent, Nostrisq; Curiis Ecclesiæ Gallicanæ, ac subditis populis edicto novissimo ac causæ peremptorio spes omnis esset purgandæ moræ præcisa, ut si ulterius cunctari in animum induxiffemus, futurum omninò videremur in hæc discrimina incidere, quæ ante dictæ pragmaticæ sanctionis decretum hoc in Regno Nostro, patriaq; Delphinali locum sibi vendicabant.

II. Ideò Nos animo reputantes, quanta olim ante illius pragmaticæ sanctionis promulgationem, indignitas rerum, ac deformitas in Regno Nostro, patriaq; Delphinali grassaretur, cùm videlicet res nummaria (quibus veluti nervis Respublica subnixæ est) ea maximè ac præcipuè ratione exhauritur, cùm Præsulibus & Antistibus Sacerdotiorum conferendorum libertas, facultasq; adimeretur: cùm peregrini, & incolæ sacerdotiis Gallicis sæpenuerò donarentur, cum diplomatibus Apostolicis, quæ expectatis vas nuncupabant, generatim sigillatimq; superstitum hominum, spirantiumq; sacerdotia electiva, mixta ac collativa in diem mortis eorum conferrentur, qui eis fungebantur: id quod cum bonis moribus non convenit, tum verò

Simulq; exponit incommoda ex publicatione dictæ Pragmaticæ prægnata

alieni fati votum habet adiunctum. Postremò cùm sacerdotiorum controversiæ, litesq; sacre in curia Romana disceptarentur, ingenti Nostrorum hominum dispendio & incommodo, ex quo sequi plerumque necesse erat, ut qui vel sumptibus suppeditandis, vel labori sufficere nequirent, hi aut iuri suo cedere, aut causas deserere, ac pro derelictis habere cogentur; simul ea accedebat deformitas, ut literarum studiosi, & disciplinis liberalibus incumbentes, aut sacerdotia adipisci nequirent, aut qui adipisci cuperent, literarum studium abijcere, aut certè deponere cogentur, passimq; per urbes errabundè vagari, ut id periculum imminere videretur, ne literarum tandem amor, & scientia per incuriam exolescerent. Cùm igitur summo perè Nobis videndum esse existimarem, ne huiusmodi indignitas in Regno Nostro exoriretur, id quod futurum intelligebamus, tempori utique inserviendum esse duximus, ac rebus Nostris periclitantibus pro re nata consulendum; imminentiq; detrimenta minore ac leviore dispendio redimenda.

*Idem loco
prædictæ
sanctionis
pragmaticæ
intra
sunt infra
scripta
Concorda-
ta.*

III. Quare cùm Bononiam cum omni Nostro comitatu venissemus, exhibendæ gratiæ reverentiæ sanctissimo Patri Nostro *Leoni X.* Pontifici summo, quam ei Franciæ Reges maiores Nostros, ut proximos, ac maximos sacros sanctæ Ecclesiæ filios, exhibuisse novimus, obnixis precibus ab eo contendimus, ut si pragmaticæ nomen omninò esset abrogandum, saltem vice illius, bonâ suâ, Conciliiq; veniâ, veras certas Nobis leges, conditionesq; meditari, comminisciq; liceret, quibus Imperium Nostrum supradictum

atum

ctum in posterum uteretur. Quod ad ea quidem pertinet, quæ sanctione pragmaticâ cavebantur, quibus Nostri precibus exorata Pontificis sanctitas (nam ei quoque cordi erat Regni Nostri Ecclesias rectè atque ordine administrari) haud egrè Nobis indulfit, ut conventa quædam Nobis meditari, commentariq; liceret pragmaticæ sanctionis vicem Regno ac potentatui supradicto utique præbitura, quæ ipsa eiusdem Concilii auctoritate, assensuq; confirmarentur, quam homologationem vocant, cum irritante decreto. Huius commentationis curam, cum tunc sua sanctitas & Nos mandavisset viris quibusdam consultissimis, ita confecta tēperataq; sunt ea contenta, ut pleraque pragmaticæ sanctionis capita firma Nobis posthac rataq; futura sint, qualia sunt ea, quæ de reservationibus in universum, aut sigillatim factis statuunt, de collationibus, de causis, de frustratoriis appellationibus, de antiquatione Constitutionis Clementinæ, quam literis vocant, de liberè quieteq; possidentibus, de concubinariis, quædamq; alia, quibus nihil iis conventis derogatum, abrogatumve fuit, nisi si in quibusdam capitibus nonnulla interpretanda, immutanda censuimus, quod ita referre utilitatis publicæ arbitramur. Quod ad electiones pertinet, minimè quod optabamus, obtinere potuerimus, causis in dictis conventis latissimè insertis, ac nihilò seciùs tamen cum, ab eiusdè Pontificis sanctitate dilationem semestrem impetrassemus iis rebus transigendis, super iisq; viros multos doctrinâ eximiâ, literarumq; peritiâ præditos, usuq; rerum calentissi-

mos consuluissemus, tandem de eorum scientia, quando ita ferebat ratio, difficultasq; temporis, rerumq; Nos circumstantium necessitas, sæpè dicta conventa in Regno Nostro ac Delphinatu promulganda censuimus, ita ut sanctionis vicem, instarq; plenum habeant, quorum conventorum seu approbationis consilii tenor sequitur, & est talis.



TENOR CONCORDATORVM
GALLIÆ.

LEO PAPA X.

*Exordium
ab Unitate
Ecc'lie
Romana
præser-
vanda.*



Ad perpetuam rei memoriam. Primitiva illa Ecclesia in angulari petra à Salvatore Nostro IESU CHRISTO fundata, Apostolorum præconiis elata, Martyrumq; sanguine consecrata, & aucta, ubi primùm iuvante Domino, per Orbem terrarum lacertos movere cœpit, providè attendens quantum oneris humeris impositum haberet, quot oves pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos intendere oporteret, Divino quodam consilio parochias instituit, Diœceses distinxit, Episcopos creavit, & Metropolitanos præfecit, ut tamquam membra capiti obsequentia, cuncta secundùm eius voluntatem salubriter in Domino gubernarent, & tamquam rivuli à perenni fonte, Romana videlicet Ecclesia derivantes, ne angulum quidem Dominici agri irrigatum dimitterent. Vnde sicut alii Romani Pontifices Prædecessores Nostri suo tempore omni studio curarunt, ut dicta Ecclesia uniretur, & in Sancta unione sine ruga, & macula conservaretur, & omnes vepres ab eadem Ecclesia abolerentur, cui proprium est, Divinâ opitulante gratiâ, virtutes colere, & vitia radicitus extirpare, ita & Nos tempore Nostro, & præsentî durante Concilio ea facere, & curare debemus, quæ unioni & conservationi eiusdem Ecclesiæ conducere videntur. Eapropter omnes spinas quæ
unioni

*Leonis Pa-
pe 10.
Constit. 20.
Bullarii
tom. 1.*

unioni huiusmodi obstitunt, & Segetem Domini pullulare non sinunt, tollere prorsus & extirpare, ac virtutes in ea Domini inferere satagimus.

N. I. Sanè inter arcana mentis Nostræ revolventes, quot tractatus inter PIA memoriam PIUM II. SIXTUM IV. INNOCENTIUM VIII. ALEXANDRUM VI. & IULIUM II. Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & claræ memoriæ Reges Franciæ Christianissimos, super abrogatione certæ Constitutionis in dicto Regno Franciæ vigentis, quæ pragmatica vocatur, habiti fuerunt. Et licet Pius II. præfatus Nunciis ad claræ memoriæ LUDOVICUM XI. Franciæ Regem destinatis, tantis eidem persuaserit rationibus, ut Rex ipse pragmaticam sanctionem huiusmodi, tamquam in seditione & schismatis tempore natam, suis patentibus literis abrogaverit, tamen huiusmodi abrogatio, nec etiam literæ Apostolicæ præfati SIXTI super concordata cum oratoribus præfati Regis LUDOVICII ad præfatum SIXTUM Prædecessorem destinatis habita expeditæ, per Prælatos, & personas Ecclesiasticas dicti Regni receptæ fuerunt, nec ipsi Prælati & personæ Ecclesiasticæ illis parere, nec monitis INNOCENTII & IULII prædictorum aures præbere, sed eidem Pragmaticæ Constitutioni inherere voluerunt.

II. Vnde præfatus IULIUS Prædecessor in præfati Concilio Lateranensi Univerſalem Ecclesiam repræsentante, per eum legitime indicto, abrogationis pragmaticæ sanctionis huiusmodi negotium & illius discussionem Venerabilium Fratrum suorum Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, & aliorum Prælatorum Congregationibus, relationemq; discussionem sibi, & eidem Concilio faciendam commisit, Gallicoq; Prælatos, Capitula Ecclesiarum, Monasteriorum Conventus, ac Parlamenta, & Laicos illis faventes, cuiuscumque dignitatis, etiamsi Regalis existerent, sanctione prædicta utentes, seu illam approbantes, omnesq; & singulos alios sua communiter, vel divisim interesse putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus non pateret accessus, in certis Ecclesiis tunc expressè affigendum moneri & citari infra certum competentem terminum præfigendum, ad comparandum coram eo in Concilio præfato, causasq; dicendum, quare sanctio præfata in concernentibus auctoritatem, dignitatem, & unitatem Ecclesiæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, factorumq; Canonum, & Ecclesiasticæ libertatis violationem, nulla & invalida declarari, decerni, & abrogari non deberet.

III. Et cum super iis, in forma iuris in præfato Concilio Lateranensi procederetur, dictusq; IULIUS Prædecessor (sicut Domino placuit) rebus fuisset humanis exemptus, Nosq; Divinâ favente Clementiâ ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuisset, & contra Prælatos, Capitula, Conventus, & personas huiusmodi ad nonnullos actus processimus,

tandem

Cuius gratia concordata cum Regibus Franciæ tractata fuit, pro abrogatione pragmaticæ sanctionis; eamq; Ludovicus XI. abrogavit, sed non fuit observata.

Idem Iulius 2. Concilio Lateranensi se indixit, ut ibidem super eiusdem pragmaticæ abrogatione ageretur.

Eoq; defuncto, his Pontifex ad ulteriores processus, cum quo

Rex Fran-
ciscus I.
personaliter tracta-
vit.

tandem considerantes pacem esse vinculum charitatis, & spirituales virtutes, quâ salvamur, dicente Dominus: *Qui biberit aquam, quam ego dabo ei bibere, non sitiet in aeternum*: & quod in pace consistat salus universorum, Cassiodoro testante, omni quippe Regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & utilitas gentium custoditur, maturâ deliberatione cognovimus, non per Nuncios, aut Legatos Nostros, sed in præstatione obedientiæ filialis, quam charissimus in Christo filius Noster *Franciscus* Francorum Rex Christianissimus personaliter Nobis præstitit, hæc cum Maiestate sua coram discutere, eumq; paternis hortari monitis, ut ad laudem Dei, & sui honorem, prompto animo libens, ac volens dictæ pragmaticæ sanctioni abrenunciare, & secundum Canones, & Constitutiones S. R. E. quemadmodum cæteri Christiani vivere, mandatis Apostolicis, & provisionibus, quæ à Sede Apostolica pro tempore emanarent, parere, & obedire vellet.

Ac Constituciones
hic enumeratae inter
eosdem ini-
ta fuerunt.

IV. Et cum ex electionibus, quæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis, ac Monasteriis dicti Regni à multis annis citra fiebant, grandia animarum pericula provenirent, cum pleræque per abusum sæcularis potestatis, nonnullæ verò, præcedentibus illicitis & simoniacis pactio-ibus, aliz particulari amore, & sanguinis afflictione, & non sine periurii reatu fierent, cum electores ipsi, etiam si ante electionem per eos faciendam, magis idoneum, & non eum, quem promissione aut datione alicui rei temporalis, seu prece vel precibus per se vel alium interpositis, electionem, procurare didicissent, eligere sponte iurarent, iuramentum huiusmodi non servarent, sed contra proprium huiusmodi iuramentum in animæ suæ præiudicium venirent, ut Nobis notoriè constat ex crebris absolutionibus, & rehabilitationibus à Nobis, & Prædecessoribus Nostris petitis, & obtentis: idem FRANCISCUS Rex Nostri paternis monitis tamquam verus obedientiæ filius parere volens, tam pro dono obedientiæ, in qua magnum meritum verè consistit, quàm pro communi, & publica Regni sui utilitate, in locum dictæ pragmaticæ sanctionis, ac singulorum Capitulorum in ea contentorum Constitutiones infra scriptas invicem tractatas, & cum Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus diligenter examinatas, & de eorum consilio cum præfato Rege Concordatas, per dilectum filium *Rogarium Barne* Regium Advocatum, oratorem suum, ad hoc ab eodem FRANCISCO Rege ad Nos destinatum, habentem ad hoc speciale & sufficiens mandatum, acceptavit: de eorundem Fratrum consilio, & unanimi consensu, ex certa Nostri scientiæ & potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, loco dictæ pragmaticæ Constitutionis, ac omnium, & singulorum capitulorum in ea contentorum, in dicto Regno, Delphinatu, & Comitatu

Comitatu Dien, ac Valentinen, infra scriptæ observentur Constitutiones.

V. Videlicet, quod Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, nunc & pro tempore, etiam si per cessionem in manibus Nostris, & Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium spontè factam, vacantibus, illarum Capitula, & Canonici ad electionem seu postulationem inibi futuri Prælati procedere non possint, sed illarum occurrente huiusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens unum gravem Magistrum, seu Licentiatum in Theologia, aut in utroque seu in altero iurium Doctorem, aut Licentiatum in Vniversitate famosa, & cum rigore examinis, & in vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minùs constitutum, & aliàs idoneum, infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum earundem computandos, Nobis, & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus, seu Sedi prædictæ nominare, & de persona per Regem huiusmodi nominata, per Nos, & Successores Nostros, seu Sedem prædictam provideri: & si contingeret præfatum Regem personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, per Nos & Successores Nostros, seu Sedem huiusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesiis minimè provideri debeat, sed teneatur idem Rex infra tres alios menses à die recusatationis personæ nominatæ non qualificatæ, sollicitatori nominationem non qualificatam prosequenti, consistorialiter factæ intimandæ computandos, alium supradicto modo qualificatum nominare: alioquin ut dispendiosa Ecclesiarum huiusmodi vacationi celeriter consulatur, Ecclesiæ tunc sic vacanti per Nos, & Successores Nostros, seu Sedem huiusmodi de persona, ut præfertur, qualificata, nec non Ecclesiis per obitum apud Sedem prædictam vacantibus semper, nullâ dicti Regis præcedente nominatione, liberè provideri possit, decernentes electiones contra præmissa attentatas, ac provisiones per Nos, & Successores Nostros, seu Sedem huiusmodi factas, nullas & invalidas existere.

VI. Consanguineis tamen præfati Regis, ac personis sublimibus ex causa rationabili & legitima, in nominatione, & Apostolicis literis exprimenda, nec non Religiosis mendicantibus reformatis, eminentis scientiæ, & excellentis doctrinæ, qui iuxta sui Ordinis regularia instituta ad gradus huiusmodi assumi non possint, sub prohibitione præmissa minimè comprehensis, sed de eorum personis dictis Ecclesiis pro tempore vacantibus, ad dicti Regis nominationem, per Nos, & Successores Nostros, seu Sedem huiusmodi liberè provideri possit.

VII. Monasteriis verò, & Prioratibus Conventualibus, & verè electivis, videlicet in quorum electionibus forma c. quia propter, servari, & confirmationes electionum huiusmodi solemniter peti consueverunt, in

Nimirum super electionibus ad Cathedralibus & Metropolitanas Ecclesias, nec non de Ecclesiis per obitum vacantibus apud Sedem Apostolicam.

Electionibusque consanguineorum Regis, aut sublimium personarum, aut mendicantium reformatorum.

Monasteriis, & he-

Na

Regno,

beneficiis ele-
ctivis.

Regno, Delphinatu, & Comitatu huiusmodi nunc & pro tempore etiam per similem cessionem vacantibus, illorum Conventus ad electionem seu postulationem Abbatis, seu Prioris procedere non possint, sed idem Rex illorum occurrente huiusmodi vacatione, Religiosum eiusdem Ordinis in ætate viginti trium annorum ad minus constitutum, infra simile tempus sex mensium à die vacationis Monasteriorum, & Prioratuum huiusmodi computandorum, Nobis, & Successoribus Nostri, aut Sedi huiusmodi nominare, & de persona per Regem huiusmodi Monasterio vacanti nominata, per Nos, & Successores Nostros, seu Sedem huiusmodi provideri; Prioratus verò personæ ad illum per eundem Regem nominatæ conferri debeat. Si verò idem Rex presbyterum sæcularem, vel Religiosum alterius Ordinis, aut minorem viginti trium annorum, vel aliàs inhabilem, Nobis aut Successoribus Nostri infra dictum semestre, seu Sedi huiusmodi nominaret, talis nominatus recusari, & nullatenus ipsi provideri debeat, sed Rex ipse infra trimestre à die recusationis supradictæ modo intimandæ computandos, alium modo supradictæ qualificatum Monasterio, seu Prioratui tunc vacanti nominare, & de persona ad Monasterium nominata illi provideri: ad Prioratum verò nominato, Prioratus ipse per Nos, & Successores Nostros, seu Sedem prædictam conferri debeat. Alioquin dictis novem mensibus effluxis, nullæ seu de persona minùs idonea, & modo præmissa non qualificata facta nominatione, ac etiam vacantibus apud Sedem prædictam, semper, etiam nullâ Regis expectatâ nominatione, per Nos, & Successores Nostros, seu Sedem prædictam Monasteriis provideri; Prioratus verò personis, ut præferatur, qualificatis dumtaxat conferri liberè possint. Electiones autem, & illarum confirmationes, nec non provisiones, per Nos & Successores Nostros, & Sedem prædictam contra præmissa pro tempore factas, nullas, irritas & inanes esse decernimus. Per præmissa tamen non intendimus in aliquo præiudicare Capitulis Ecclesiarum, & Conventibus Monasteriorum, & Prioratuum, huiusmodi privilegia à Sede Apostolica proprium eligendi Prælatum obtinentibus, quominùs ad electionem Episcoporum, ac Abbatum, & Priorum iuxta privilegia in eis concessa liberè procedere possint, iuxta formam in eorum privilegiis contentam; & si in eorum privilegiis forma aliqua expressa non fuerit, tunc formam Concilii Generalis c. *Quia propter*. Servare teneantur, dummodò de privilegiis sibi concessis huiusmodi per literas Apostolicas, seu aliàs authenticas scripturas docuerint, omni aliâ specie probationis eis in hoc ademptâ.

De expectativis & reservationibus solentibus.

VIII. Volumus quoque, & ordinamus, quod in Regno, Delphinatu, & Comitatu, prædictis, de cætero non dentur aliqua gratiæ expectativæ, ac speciales vel generales reservationes ad vacatura beneficia, per Nos, & Sedem

Sedem prædictam non fiant, & si de facto per importunitatem, aut aliâ à Nobis, & Successoribus Nostris, & Sede prædicta emanaverint, illas irritas, & inanes esse decernimus. In Cathedralibus tamen, Metropolitanis, & Collegiatis Ecclesiis, in quarum statutis caveretur expressè, quod nullus ibidem dignitatem, personatum, administrationem, vel officium obtinere possit, nisi in illis actu Canonicus existat, Canonicos (ad effectum dumtaxat inibi obtinendi dignitatem, personatum, administrationem vel officium hujusmodi, & non consequendum primam præbendam vacaturam) creare posse intendimus.

IX. Statuimus insuper, quod Ordinarius collator in unaquaque Cathedrali, ac etiam Metropolitana Ecclesia Canonicatum & præbendam Theologalem inibi existentem conferre teneatur uni Magistro, seu Licenciato, aut Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in Universitate studii generalis privilegiata studuerit, ac onus residentie, lectionis, & prædicationis actu subire voluerit, quiq; bis, aut semel ad minus per singulas hebdomadas, impedimento cessante legitimo, legere debeat, & quoties ipsum in hujusmodi lectione deficere contigerit, ad arbitrium Capituli, per subtractionem distributionum totius hebdomadæ puniri possit, & si residentiam deseruerit, de illis alteri provideri debeat, & ut liberius studio vacare possit, etiam si absens fuerit à Divinis, habeatur pro præsentate, ita ut nihil perdat. Præfatiq; Ordinarii collatores, seu patroni Ecclesiastici, quicumque fuerint, ultra dictam præbendam Theologalem, quam, ut præfertur, qualificato conferre tenentur, tertiam partem omnium dignitatum, personatum, administrationum, & officiorum, cæterorumq; beneficiorum Ecclesiasticorum ad eorum collationem, provisionem, nominationem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet spectantium, viris literatis, graduatis, & per Universitates nominatis, hoc modo, videlicet, primo mense post præsentium acceptationem, & eandem publicationem, præfati Ordinarii collatores, dignitates, personatus, administrationes, & officia ad eorum collationem, provisionem, nominationem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem, ut præfertur, spectantia, graduatis hujusmodi, qui literas suorum graduum cum tempore studii debite insinuaverunt, conferre teneantur. Beneficia verò, quæ in duobus sequentibus mensibus vacare contigerit, illa juxta juris communis dispositionem, personis idoneis liberè conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare possint. Beneficia autem, quæ in quarto mense vacare contigerit, viris graduatis per Universitatem nominatis, qui gradus, & nominationis literas cum tempore studii debite insinuaverint, conferre, seu præsentare teneantur. Beneficia verò, quæ quinto mense, & sexto vacare contigerit, simili modo personis idoneis liberè conferre, seu per-

*De Collationibus
faciendis
per Ordinarios.*

sonas ad illa præsentare possint. Beneficia autem, quæ septimo mense vacare contigerit, graduatis, qui simili modo literas gradus cum tempore studii debite insinuaverint, conferre teneantur. Beneficia verò, quæ octavo & nono mensibus vacare contigerit, pari modo personis idoneis conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare teneantur. Beneficia autem, quæ mense decimo vacare contigerit, graduatis nominatis, qui gradus, & nominationis literas cum tempore studii debite insinuaverint, per eosdem Ordinarios conferri, seu ipsi ad illa præsentari debeant. Beneficia autem, quæ undecimo, & duodecimo mensibus vacare contigerit, per eosdem Ordinarios personis idoneis juxta juris communis dispositionem conferti, seu ipsi ad illa præsentari debeant. Si quis verò cujuscumque status, etiam si Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiscopalis, aut Pontificalis, vel alterius cujuslibet dignitatis, contra prædictum ordinem, & qualificationes superius ordinatas, de dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis, seu quibusvis aliis beneficiis Ecclesiasticis hujusmodi aliter, quàm modo præmissis disposuerit, dispositiones ipsæ sint ipso iure nullæ, collationesq; & provisiones, ac dispositiones illorum ad immediatum Superiorem devolvantur, qui eisdem personis modo præmissis qualificatis, providere teneatur, & si contravenerit, ad alium superiorem devolvatur provisio, & præsentatio hujusmodi gradatim, donec ad Sedem Apostolicam fiat devolutio. Præterea volumus, quod collatores Ordinarii, & patroni Ecclesiastici præfati, qui dignitates, personatus, administrationes, & officia, ac beneficia in mensibus graduatis & nominatis assignatis vacantia, illis graduatis simplicibus, aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos dumtaxat præsentare teneantur, qui per tempus competens in Vniversitate famosa studuerint; tempus autem competens decennium in Magistris, seu Licentiatibus, aut Baccalaureis in Theologia. Septennium verò in Doctoribus, seu Licentiatibus in jure Canonico, Civili, aut Medicina. Quinquennium autem in Magistris, seu Licentiatibus in artibus cum rigore examinis à Logicalibus inclusivè, aut in altiori facultate. Sexennium autem in Baccalaureis simplicibus in Theologia. Quinquennium verò in Baccalaureis juris Canonici, aut Civilis, in quibus Baccalaureis juris Canonici, aut Civilis, si ex utroque parente nobiles fuerint, triennium esse decernimus; præfatisq; graduatis, & nominatis Collatoribus Ordinariis, sive patronis Ecclesiasticis, semel ante vacationem beneficii, de literis gradus, seu nominationis, & de præfato tempore studii per literas patentes Vniversitatis, in qua studuerint, manu scribæ, & sigillo Vniversitatis signatas, fidem facere teneantur. Cùm vero probatio nobilitatis fieri deberet ad effectum, ut nobiles ipsi gaudere possint beneficio minoris temporis studii, tunc nobilitas ipsa per quatuor testes deponentes in judicio coram giudice Ordinario

rio loci, in quo est natus ille, de cujus nobilitate ex utroque parente constat debet, etiam in partis absentia probari possit; teneanturq; præfati graduati, tam simplices, quam nominati, patronis Ecclesiasticis, aut Collatoribus Ordinariis, quibus gradus, aut nominationis literas hujusmodi insinuare deberent, literas suorum gradus & nominationis, certificationis temporis studii, & attestationis nobilitatis duplicatas dare, ac in singulis annis tempore Quadragesimæ, per se vel procuratorem suum, Collatoribus, nominatoribus, seu patronis Ecclesiasticis, aut eorum vicariis, eorum nomina & cognomina insinuare, & eo anno, quo præfatam insinuationem facere omiserint, beneficium in viis gradus, aut nominationis hujusmodi petere non possint; & si Collatoribus Ordinariis, aut patronis Ecclesiasticis, in mensibus deputatis graduatis simplicibus, aut graduatis nominatis, qui diligentias præfatas fecerit, collatio, seu præsentatio per Collatorem, seu patronum Ecclesiasticum, etiam eisdem mensibus facta, alteri quam graduato, vel nominato non propter hoc irrita censeatur. Si tamen graduatus simplex, aut nominatus, beneficium post insinuationem gradus, aut nominationis in mensibus eis assignatis vacans petierit, & inter suam insinuationem, & præfatam requisitionem non supervenerit Quadragesima, in qua nomen & cognomen insinuare debuerit, ad beneficium sic vacans eum capace, ipsumq; illud consequi posse debere decernimus. Statuimus quoque & ordinamus, quod collatores Ordinarii, & patroni Ecclesiastici præfati, inter graduatos, qui literas gradus cum tempore studii, & attestatione nobilitatis debite insinuaverint, quoad beneficia in mensibus eis deputatis vacantia, gratificare possint illum ex eis, quem voluerint: quod vero ad beneficia in mensibus graduatis, nominatis, deputatis, antiquiori nominato conferre, seu antiquiorem nominatum, qui literas nominationis, tempore studii, & attestationis nobilitatis debite insinuaverit, præsentare, seu nominare teneantur; concurrentibus autem nominationibus ejusdem anni, Doctores Licentiatos, Licentiatos Baccalaureis, (demptis Baccalaureis formatis in Theologia: quos favore studii Theologici, Licentiatos in jure Canonico, Civili aut medicina præferendos esse decernimus) Baccalaureos juris Canonici aut Civili, Magistris in artibus præferri volumus. Concurrentibus autem pluribus Doctoribus in diversis facultatibus, Doctorem Theologum Doctori in jure, Doctorem in jure Canonico, Doctori in jure Civili, Doctorem in Civili, Doctorem in Medicina præferendos esse decernimus; & idem in jure Licentiatos & Baccalaureis servari debere volumus, & si in eisdem facultate, & gradu concurrerent, ad datam nominationis seu gradus recurrendum esse volumus, & si in omnibus his concurrerent, tunc collator Ordinarius inter eosdem concurrentes gratificare possit. Volumus autem, quod nominati literas nominationis ab

Vniuersitatibus, in quibus studuerint, obtinentes, in nominationum literis beneficia per eos possessa, & eorum verum valorem exprimere teneantur, alioquin literæ nominationis huiusmodi eo ipso nullæ sint, & esse censentur. Si quis verò ex dictis qualificatis graduatis simplicibus, aut nominatis tempore vacationis beneficii in mensibus eis deputatis vacantis duas obtineat præbendas, in Cathedralibus etiam Metropolitanis, aut Collegiatis, seu dignitatem vel præbendam, vel aliud beneficium seu alia beneficia, quorum in sin. ul. vel cuius fructus, redditus & proventus tempore residentiz, & horis Diuinis interessendo, ad Summam ducentorum florenorum auri de Camera ascenderet beneficium in vni gradu seu nominationis huiusmodi tunc petere, seu consequi non possit. Et insuper quodam graduati simplices, quàm nominati beneficia in mensibus eis assignatis vacantia petere & consequi possint secundum propriæ personæ concordantiam & conformitatem, videlicet sæculares sæcularia, & Religiosi regularia beneficia Ecclesiastica: ita quod sæcularis nominatus beneficia regularia in mensibus deputatis vacantia, prætextu cuiusvis dispensationis Apostolicæ, & è contra Religiosus beneficia sæcularia petere, aut consequi minimè possit. Quodq; beneficia simpliciter, vel ex causa permutationis in mensibus graduatis simplicibus, & nominatis assignatis vacantia, eis non sint affecta, nec debita, sed ex causa permutationis cum permurantibus dumtaxat, simpliciter verò vacantia beneficia huiusmodi personis idoneis per ipsos Ordinarios liberè conferri possint.

Decollatione Ecclesiarum Parochialium. X. Statuimus quoque, quod Parochiales Ecclesiæ in Civitatibus, aut Villis muratis existentes, non nisi personis modo præmisso qualificatis, aut saltem qui per tres annos in Theologia, vel altero iurium studuerint, seu Magistris in artibus, qui in aliqua Vniuersitate privilegiata studentes, Magisterii gradum adepti fuerint, conferantur. Monemus autem præfati Regni Vniuersitates sub pœna priuationis omnium & singulorum privilegiorum à Nobis & Sede Apostolica obtentorum, ne Collatoribus seu Patronis Ecclesiasticis habeant aliquos nominare, nisi eos, qui secundum præfata tempora studuerint, & secundum dictarum Vniuersitatum statuta ad gradus, & non per saltum proveci fuerint. Quod si secùs fecerint, ultra nullitatis pœnam, quam in præfatum nominationum literis declaramus, Vniuersitates ipsas nominandi privilegio ad tempus secundum culpæ qualitatem suspendemus. Si quis autem graduatorum vel nominatorum in mensibus deputatis à collatoribus Ordinariis, aut personis Ecclesiasticis beneficium vacans in vim gradus, aut nominationis petierit, & collatorem Ordinarium in vim præfati gradus aut nominationis in processu possuerit, & aliter molestaverit, illum ultra expensatum, damnorum, & interesse condemnationem, à fructibus sui gradus, & nominationis privandum esse

esse decernimus; eodemq; vinculo collatores Ordinarios, & patronos Ecclesiasticos, quibus graduati, & nominati debite, ut supra, qualificati suos gradus, & nominationis literas insinuaverint, adstringimus, ut beneficia ad eorum collationem, & presentationem spectantia, in mensibus graduatorum simplicium, & nominatorum vacantia, stantibus præfatis graduatis, aut nominatis debite qualificatis illa prosequentibus, aliis quàm graduatis aut nominatis non conferant, sub pœna suspensionis potestatis conferendi beneficia in octo mensibus illo anno ad collationem eorum, ac presentationem liberam spectantibus.

XI. Statuimus quoque, & ordinamus, quod quilibet Rom. Pont. semel dumtaxat tempore sui Pontificatus literas in forma mandati juxta formam inferius adnotatam, & non ultra dare possit, hoc modo, videlicet; unum collatorem habentem collationem decem beneficiorum in uno, habentem autem collationem quinquaginta beneficiorum, & ultra, in duobus beneficiis dumtaxat gravare possit: ita tamen quod in eadem Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata collatorem unum pro tempore in duabus præbendis non gravet. Et ut obvietur litibus, quæ occasione literarum mandatorum hujusmodi oriri possent, mandata hujusmodi sub forma quæ est inferius annotata, dari volumus, quam ad perpetuam rei memoriam in Cancellaria Apostolica publicari, & in illius quinterno registrari mandamus. Declarantes, prosequentes hujusmodi mandata quoad beneficia sub illis comprehensa, Ordinariis collatoribus, & graduatis simplicibus, & nominatis præferendos esse, Nosq; & Successores Nostros jure præventionis, dignitates, personatus, administrationes, & officia, ceteraq; beneficia Ecclesiastica, & sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, quæcumque, & quomodocumque qualificata, tam in mensibus graduatis simplicibus, & nominatis, quàm Ordinariis collatoribus præfatis assignatis vacantia, ac etiam sub dictis mandatis comprehensa liberè conferre.

XII. Statuimus insuper, quod in provisionibus, quas personis quibuscumque de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis, per Nos, & Successores Nostros, ac Sedem prædictam, etiam motu proprio, etiam promotis ad Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas, ac Monasteria, ut obtenta per eos beneficia retinere possint, fieri contigerit, illorum verus annuus per florenos, aut ducatorum auri de Camera, aut libras Turonenses, seu alterius monetæ valor, secundùm communem estimationem exprimi debeat, alioquin gratiæ ipsæ sint ipso jure nullæ.

XIII. Statuimus quoque & ordinamus, quod in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, omnes & singulæ causæ, exceptis majoribus in jure expressè denominatis, apud illos Iudices in partibus, qui de jure, aut consuetudine præscripta, vel privilegio, illarum cognitionem habent, & termini

*De literis
Pape in
forma m-
dati, cuius
tenor vide-
ri potest
Bullariis
tom. I. ad
Leonis no-
Consis. 20.
& apud
Rebuff. ad
Concord.*

*De vero
valore ex-
primendo.*

*De causis
in partibus
Franciæ
consequen-
dis, & earū
nati*

*Appellatio-
nibus.*

nati & finiti debeant. Et ne sub umbra appellationum, quæ nimium, & nonnunquam frivole interponi consueverunt atque etiam in eadem instantia ad prorogationem litium sæpè multiplicari injustis vexationibus, materia præbeat, volumus, quod si quis offensus coram suo Iudice Iustitiæ complementum habere non possit, ad immediatum superiorem per appellationem recursum habeat; nec ad aliquem Superiorem, etiam ad Nos, & Successores Nostros, vel Sedem prædictam, omisso medio; nec à gravamine in quacumque instantia, ante definitivam sententiam quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale gravamen extiterit, quod in definitiva reparari nequiret, & eo casu non nisi ad immediatum Superiorem liceat appellare. Si quis verò immediatè subiectus Sedi Apostolicæ, ad eandem Sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum usque ad finem litis, videlicet usque ad tertiam sententiam conformem inclusivè, si ab illis appellari contigerit: nisi propter defectum denegatæ iustitiæ, aut justum metum, & tunc committi debeat in partibus convicinis, & cum causarum expressione, quæ etiam de illis, etiam legitimè aliàs quàm per juramentum coram Iudicibus à Sede Apostolica depurandis constare debeat. Processus autem contra præmissa attentatos, nullos, & irritos esse volumus, ac rescripta contra præmissa impetrantes, in expensis, damnis, & interesse condemnari debere decernimus, atque declaramus. Sanctæ verò Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui pro universali Ecclesia continuè laborant, nec non diætæ Sedis officiales, officia sua actu exercentes, sub præsentis decreto non intendimus comprehendere.

Earundemq; instantiis & terminacione.

XIV. Statuimus etiam & ordinamus, quod Iudices causas, quæ in partibus terminari debent, coram eis pro tempore pendentes, sub pœna excommunicationis, & privationis beneficiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrenda, infra biennium terminare debeant, pars vero diffugiens, & expeditionem ipsius causæ malitiosè impediens, gravissimè per eosdem Iudices mulctetur, etiam usque ad privationem juris in huiusmodi processu prætensi, si eis vitium fuerit, super quo eorum conscientias oneramus, ab interlocutoriis autem secundò, à definitivis verò tertio duntaxat provocare licere decernimus.

Appellationibus.

XV. Volumusq; secundam sententiam interlocutoriam conformem, & tertiam definitivam etiam conformem, omni morâ cessante, executioni debitæ demandari debere, quacumque appellatione interpositâ non obstante.

Triennali pacifico possessore.

XVI. Statuimus quoque quod quicumque, dummodò non sit violentus, sed habens coloratum titulum, pacificè & sine lite prælaturam, dignitatem, personarum, administrationem, vel officium, seu quodcumque beneficium Ecclesiasticum triennio proximo hætenus possidet, vel pro tempore

potere possidebit, in petitorio vel possessorio à quoquam etiam ratione juris noviter reperti molestari nequeat, præterquam prætextu hostilitatis, aut alterius legitimi impedimenti, de quo protestari, & illud juxta Concilium Viennense intimari debeat; lis autem hoc casu quoad futuras controversias intelligatur, si ad executionem citationis, jurisq; sui in judicio exhibitionem, aut terminorum omnium observationem processum fuerit.

XVII. Monemus etiam Ordinarios, ut diligenter inquirant, ne quis sine titulo beneficium possideat, & si quem beneficium sine titulo possidere repererint, declarent illius jus non competere, cujusvis temporis de-
Beneficia sine titulo possidentibus.

XVIII. Et insuper statuimus, quod quicumque Clericus cujuscumque conditionis, status, religionis, dignitatis, etiam si Pontificalis, vel alterius præminentie fuerit, qui post habitam præsentium notitiam, quam habere præsumatur post duos menses, post earundem præsentiam publicationem in Ecclesiis Cathedralibus factam, quam ipsi Diocesani omninò facere teneantur, postquam præsentibus ad eorum notitiam pervenerint, publicus concubinarium à perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum trium mensium spatio sit ipso facto suspensus, quos suos Superior in fabricam vel aliam evidentem Ecclesiarum utilitatem, ex quibus ii fructus percipiuntur, convertat: nec non hujusmodi publicum concubinarium, ut primùm talem esse noverit, mox suos Superiores monere teneatur, ut infra brevissimum terminum concubinam dimittat, & si illam non dimiserit, vel dimissam, seu aliam publicè resumpserit, jubemus, ut ipsum in omnibus suis beneficiis omninò privet. Et nihilominus ii publici concubinarij, usquequò cum eis per suos Superiores post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamq; vitæ emendationem fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcumque honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorumve sint inhabiles, qui si post dispensationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinarium redierint, sine spe alicujus dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existant, quodq; si hi ad quos talium correctio pertinet, eos, ut prædictum est, punire neglexerint, eorum Superiores tam in ipsos de neglectu, quàm in illos pro concubinato modis omnibus digna punitione animadvertant. In Conciliis etiam provincialibus, & Synodalibus adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem à collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna severiter procedatur, & si ii quorum destitutio ad Nos, & Sedem prædictam spectat, per Concilia provincialia, aut suos Superiores propter concubinarium publicum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis ad Nos deferantur: eadem diligentia, & in-

Concubinariorum pœnis.

quisitio in quibuscumque generalibus Capitulis, etiam provincialibus, quoad eos servetur, pœnis aliis contra prædictos, & alios non publicos concubinarios à jure statutis. in suo robore permansuris.

*Concubini-
nariis pub-
licis qui
suis.*

XIX. Publici autem intelligendi sunt non solum ii, quorum concubinitas per sententiam aut confessionem in jure factam; seu per rei evidentiam, quæ nullâ possit tergiversatione celari, notorius est, sed etiam qui mulierem de incontinentia suspectam, & diffamaram tenent, & per suum Superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt.

*De concu-
binariis
non per-
mittendis.*

XX. Quæ verò in quibusdam regionibus nonnulli jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, pecuniarios quæstus à concubinariis percipere non erubescunt, patientes eos in tali scelerate sordescere, sub pœna maledictionis æternæ præcipimus, ne deinceps sub pacto, compositione, aut spe alterius quæstus, talia quovis modo tolerant, aut dissimulent; alioquin ultra præmissam negligentæ pœnam, duplum ejus, quod propterea acceperint, restituere, & ad pios usus omninò convertere teneantur, & compellantur. Ipsas autem concubinas, aut suspectas Prælati omnibus modis curent à suis subditis, per auxilium, & brachi sæcularis invocationem (si opus fuerit) penitus arcere, qui etiam filios ex tali concubinato procreatos apud patres suos cohabitare non permittant. Iubemus insuper, quod in prædictis Synodis, & Capitulis præmissa publicentur, & ut quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter. Injungimus prætereà omnibus sæcularibus viris, etiam si Regali præfulgeant dignitate, ne ullam qualemcumque inferant impedimentum, quocumque quæsito colore Prælati, cui ratione sui officii adversus subditos suos pro hujusmodi concubinato, & aliis casibus sibi à jure permissis procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege Divinâ prohibitum sit, & sub pœna peccati mortalis necessariò evitandum, monemus omnes Laicos, tam uxoratos, quàm solutos, ut similiter à concubinato abstineant; nimis enim reprehensibilis est, qui uxorem habet, & ad aliam uxorem seu mulierem accedit; qui verò solutus est, si continere nolit, juxta Apostoli consilium uxorem ducat: pro hujusmodi autem Divini observantia præcepti, hi ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quàm aliis canonicis remediis omni studio laborent.

*De conver-
satione cœ-
excommu-
nicatis.*

XXI. Statuimus insuper, quod ad evitandum scandala & multa pericula, subveniendumq; conscientis timoratis, quod nemo deinceps à communicatione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque Divinis, vel etiam prætextu cujuscumque sententiæ, aut centuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine vel à jure generali promulgatæ, teneantur abstinere, vel aliquem vitare, vel interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, sus-
pensio,

penſio, vel cenſura huiusmodi fuerit, vel contra perſonam, Collegium, Vniuerſitatem, & Eccleſiam, aut locum certum, aut certam, à Iudice publicata, & denunciata ſpecialiter & expreſſè, aut ſi notoriè in excommunicationis ſententiam conſiſterit incidiſſe, quod nullà poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo Iuris ſuffragio excuſari, eum à communione illius abſtinere volumus, juxta Canonicas ſanctiões. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.

XXII. Et quoniam ex indiſcreta interdictorum promulgatione, multa conſueverunt ſcandala evenire, ſtatuiſmus, quod nulla Civitas, Oppidum, Caſtrum, Villa, aut locus Eccleſiaſtico ſupponi poſſit interdicto, niſi ex cauſa, ſive culpa ipſorum locorum, aut Domini, ſeu Rectoris, vel Officialium: propter culpam autem, ſeu cauſam alterius cujuſcumque privatae perſonae, huiusmodi loca interdicti nequaquam poſſint, auctoritate quacumque ordinariâ, vel delegatâ, niſi talis perſona priùs fuerit excommunicata, ac denunciata, ſeu in Eccleſia publicata; aut Domini, ſeu Rectoris, vel Officiales ipſorum locorum auctoritate Iudicis requiſiti, huiusmodi perſonam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non eiecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint; quâ etiam poſt biduum eiectione recedente, vel ſatisfaciente, mox Divina reſumi poſſint, quod etiam in pendentibus locum habere decernimus.

XXIII. Nec non conſtitutionem de eorundem Fratrum Noſtrorum Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalium conſilio editam, quam cum ieritanti decreto ſtatuiſmus, & decreviſmus & ordinaviſmus, quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus, de ceſſione regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiarum, & Monafteriorum factâ per eos, qui Eccleſiis & Monafteriis ipſis præerunt, ſeu illa in adminiſtrationem, ſeu commendam, aut ut aliis unita, aut aliàs obtinebant, ſeu reſignatione aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſeu ceſſione iuris in eis, vel ad ea quomodolibet competentis, aut privationis, vel de poſitionis, aut cenſurarum fulminatione, etiam literis Apoſtolicis à Nobis, & Sede Apoſtolica, etiam motu proprio pro tempore emanatis, quæ in manibus Romani Pontificis factæ dicerentur, contentis, etiam ſi ſuper illis narratis fundaretur intentio, conſtare & apparere deberet per publica inſtrumenta, vel documenta authentica. Alioquin tam in iudicio, quam extra illud, narrativa & aſſertioni huiusmodi in præiudicium tertii minimè ſtari, nec ex illis alicui præiudicium afferri debere, niſi de huiusmodi narrativa, & aſſertione etiam in literis Apoſtolicis facta altero ex præmiſſis modis doceretur, innovamus, illamq; perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari mandamus.

*Interdi-
ctus Ec-
cleſiaſticis.*

*Reſignatio-
nis bene-
ficiorum.*

*Stabilisur
concordia
cum Rege,
qui Bono-
nia ipse-
met hunc
Pontifici
obediencia
præstitit.*

XXIV. Et quia ad supradictam concordiam cum præfato Rege ob-
lius sinceram devotionem erga Nos, & Sedem prædictam ostensam, cum
ad præstandam Nobis reverentiam, & filialem obedientiam, ad Civitatem
Nostram Bononiæ personaliter accessit, consentimus, illamq; inviolabili-
ter observari desideramus, illam veri contractus & obligationis inter Nos,
& Sedem Apostolicam prædictam ex una, & præfatum Regem, & Regnũ
suum ex altera partibus legitime iniri, vim & robur obtinere.

*Cui déro-
gari non
posse decer-
nit.*

XXV. Ac illi & præsentibus in aliqua sui parte per quaecumque literas,
& gratias per Nos, & Successores Nostros desuper concedendas derogari,
clausulamq; cum earundem derogatione præsentium latissime extenden-
da, ac quod eadem præsentis literæ, & earum tenor pro expressis habeantur
in quibusvis supplicationibus pro tempore signatis appositam, nihil
penitus operari, & illius vigore in literis Apostolicis super ipsis supplicatio-
nibus conficiendis quicquam, per quod præsentibus, aut alicui particulæ
de contentis in eis derogaretur, seu derogari videretur, narrari non possit
& sic per quoscumque iudices, etiam Commissarios, etiam causarum Pa-
latii Apostolici auditores, & præfate Romanæ Ecclesiæ Cardinales in
quibusvis causis super præmissis, vel eorum aliquo pro tempore motis ju-
dicari, definiri & sententiarum debere, sublatâ eis aliter sententiandi, & defi-
niendi omnimodâ facultate, & auctoritate; nec non irritum & inane
quidquid secus super iis, vel eorum aliquo, à quoquam quavis auctoritate,
etiam per Nos, & Successores Nostros præfatos scienter vel ignoranter
contigerit attentari decernimus.

*Patium,
quod Rex
infra cer-
tum tem-
pus hanc
concordiam
in suo Reg-
no accepta-
ri faciat.*

XXVI. Volumus autem, quod præfatus Rex præsentis literas, ac om-
nia & singula in eis contenta, quæ in prima futura Sessione præsentis Con-
cilio Lateranensis approbati & confirmari facere promissimus, infra sex
menses à die approbationis & confirmationis computandos non appro-
baverit, & ratificaverit, & ea perpetuis futuris temporibus in Regno suo,
& omnibus aliis locis, & dominiis dicti Regni per omnes Prælatos, & a-
lias etiam Ecclesiasticas personas, ac Curias Parlamentorum legi, publica-
ri, iurari & registrari, ad instar aliarum Constitutionum Regiarum, & de
acceptatione, lectione publicatione, juramento, & registratione prædictis
infra prædictum terminum per omnium & singulorum supradictorum
parentes literas, aut authenticas scripturas Nobis non transmiserit, aut
Nuncio Nostro apud ipsum Regem existenti, per eum ad Nos destinan-
das non consignaverit, & deinde singulis annis etiam legi, prout aliàs ipsius
Francorum Regis Constitutiones, & Ordinationes, quæ in viridi sunt ob-
servantia, observari debent, inviolabiliter observari cum effectu non fece-
rit, præsentis literæ, & inde secuta quæcumque sint cassa, & nulla, nulliusq;
roboris, vel momenti.

XXVII. Et

XXVII. Et cum omnium quæ in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis aguntur notitiam non habeamus, consuetudines, statuta, seu usus libertati Ecclesiasticæ & auctoritati Sedis Apostolicæ quomodolibet præiudicantia, si qua in Regno, Delphinatu & Comitatu prædictis aliàs quam in præmissis existant, non intendimus Nobis, & eidem Sedi in aliquo præiudicare, seu illa tacite, vel expresse quomodolibet approbare.

*Declara-
tio
d. Concor-
dia.*

XXVIII. Et nihilominus præfato FRANCISCO & pro tempore existenti Francorum Regi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios in dignitate Ecclesiastica constitutos, præsentis literas, ac omnia & singula in eis contenta, quando & quoties opus fuerit publicari, & ea inviolabiliter observari faciant. Contradictores cuiuscumque dignitatis & præminentia fuerint, per censuras Ecclesiasticas, & pecuniarias pœnas, aliâq; juris & facti quævis opportuna remedia, appellatione quâlibet omninò postposita, compescendo.

*Observan-
tia Concor-
dia per
Regem ex-
ecutioni
deman-
danda.*

XXIX. Non obstantibus omnibus suprascriptis, aut si aliquibus, communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

*Clausula
derogato-
ria.*

XXX. Nulli verò hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, innovationis, mandati, decreti, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ in publica Sessione in Lateranensi Sacrosancta Basilica solemniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexto decimo, quarto decimo Kalen. Januarii, Pontificatus Nostri anno quarto.

*Sanctio
pœnalis.*

§. 5. Hæc porro Concordata fusissimè explicat *Rebuffus* specialiter in ea edito commentario, ad quem proinde lectorem remitto, ac me, meaq; omnia, quæ in hoc opusculo scripsi, infallibili Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ censuræ, & melius sentientium iudicio humillimè submitto.

*In eadem
Concorda-
ta commen-
tarius est
Rebuffus.*

*Ad maiorem Dei, & immaculatæ Virginis
Mariæ, cœlitumq; omnium gloriam,
cultum & honorem.*

INDEX LOCUPLETISSIMVS

Rerum, verborum, ac sententiarum, quæ in hoc tractatu continentur. Prior numerus *Titulum*, alter *Dubium*, tertius *dubii paragraphum*, quartus *Paginam* denotat. Vbi verò quandoque additur *proæm. Proæmium*: ubi *text. Concord.* ipsa *Concordata*: ubi *num. Constitutionis Apostolicae, Edicti Casarei, vel Decisionis Rotalis* ibidem insertæ *numerum* designat.

A.

A Jure veteri non est recedendum, nisi aliud exprimat in novo. tit. 1. dub. 7. §. 14. pag. 111.

A potentiori sit denominatio tit. 1. dub. 5. §. 15. pag. 85

A remotione unius contrarii sequitur positio alterius. tit. 3. dub. 2. §. 21. pag. 227

Abbas non potest recipere beneficiorum resignationes, vel permutationes, nisi jurisdictionem habeat quæ si Episcopalem. tit. 1. dub. 9. §. 10. 11. 12. 13. & 14. pag. 138 139. 140. 141

Abbates, & hujusmodi habentes curam animarum, non dicuntur curati. tit. 1. dub. 6. §. 1. pag. 88

Abbatia secularis sunt primæ dignitates in Ecclesiis quibusdam Collegiatis apud Leodienses in Constit. *Vrbani* Papæ 8. relata. tit. 1. dub. 1. post §. 12. pag. 47. 48 & seq.

Abbatum electio debet fieri juxta formam *c. quia propter de elect.* tit. 1. dub. 1. post §. 4. in adducta ibi decision. *Rotal.* num. 1. 2. & seq. & 12. pag. 5. & seq. & pag. 22. & seq. & post §. 6. in altera decision. *Rot.* pag. 24. & seq.

Acceptatio beneficii notoriè nulla, nullum possidendi colorem tribuit. tit. 3. dub. 2. §. 17. pag. 224

Acceptatio particularium non est necessaria in Concordatis Germaniæ. tit. 3. dub. 1. §. 10. pag. 80. & seq.

Acceptandi facultas apposta in Concordatis Germaniæ, non præjudicat eorundem obligationi. tit. 3. dub. 1. §. 11. pag. 182

Administrationes Ecclesiasticæ cadunt sub Concordatis Germaniæ. tit. 1. dub. 1. §. 16. pag. 68 & 69

Advocatorum & aliorum allegantiū non usum, legis non receptionem, præscriptionem, contrariam consuetudinem, contra leges Canonicas, & Concordata Germaniæ, periculosus status tit. 3. dub. 2. §. 20. pag. 227

Altaria, quæ in titulum dantur, cadunt sub Concordatis Germaniæ. tit. 1. dub. 3. §. 3. pag. 71

Amotio beneficiati iusta ex causa, non reddit beneficium amovibile. tit. 1. dub. 3. §. 7. pag. 74

Annata quando, à quo, & cur introducantur. tit. 2. dub. unico. §. 1. p. 167. & 168

Annata quid sint, ibid. pag. 168

Annatarum solutio quando, & quomodo

modo faciendā ead. pag. & ibid. §. 2.

Annatæ quæ per Concordatā Germaniæ præscriptæ. ibid.

Annatæ nullæ solvuntur de beneficiis, & pensionibus non excedentibus valorem 2. ducatorum de Camera. tit. 2. dub. unico. §. 1. 2. & 3. p. 68. 169 & 170

Annatas solus Papa imponit. ibid. §. 4. & 5. pag. 170

Appellatione Ordinarii in materia collationis beneficii, qui veniant. tit. 1. dub. 9. §. 1. pag. 129

Appositio manus Papæ non intrat, dum resignatio est nulla culpâ resignantis. tit. 1. dub. 10. post §. 2. in adducta ibid. decis. Rot. num. 8. & 9. pag. 147

Arbiter est quilibet rerum suarum, facere tamen nequit, qui iura defuere statuta locum habeant. tit. 1. dub. 4. §. 5. pag. 78

Archidiaconi non possunt recipere beneficiorum resignationes, vel permutationes, nisi potestatem habeant Episcopalem. tit. 1. dub. 9. §. 10. 11. 12. 13. & 14. pag. 138. 139. 140. & 141

Archidiaconi an aliquid licite accipiunt, vel exigant pro institutionibus, seu investituris in beneficiis. tit. 2. dub. unico. §. 8. pag. 173

Argumenta non usus, non receptionis, præscriptionis, vel contrariæ consuetudinis contra leges Canonicas, & Constitutiones Apostolicas, sunt frivola. tit. 3. dub. 2. §. 9. pag. 80. & dub. 2. §. 19. pag. 126. & seq.

Attestanti de receptione, vel consuetudine non creditur. tit. 1. dub. 1. post §. 6. in adducta ibid. decis. Rot. num. 5. p. 17

Auctoritas Papæ tollit vitium Simoniacæ. tit. 1. dub. 9. §. 4. pag. 131

Auditorum Rotæ Rom. decisiones sunt maximæ auctoritatis, & præponderant communi Doctorum opinioni. tit. 1. dub. 9. §. 13. pag. 140

Augustani gaudent facultate eligendi Præpositum. tit. 1. dub. 1. §. 13. pag. 57

B.

Basileense Concilium initio fuit Oecumenicum, sed postea conci-

liabulum. tit. 1. dub. 1. post §. 5 in adducta ibid. decis. Rot. num. 8. pag. 30

Basileensis Concilii decreta non fuerunt à Nicolao Papa 5 confirmata, sed tantum electiones in dicti Concilii obedientia factæ. ibid. num. 9. pag. 31

Beneficium, ad cuius titulum quis est Ordinatus, resignari, aut permutari nequit, nisi facta de eo mentione, & quod habeat aliunde, unde commodè vivere valeat. tit. 1. dub. 10. §. 1. 2. & seq. pag. 143. 144. 145. 146. 147. & seq. & eisd. dub. §. 7. pag. 148. & seq.

Beneficia ad manus Ordinarii Diocæsani resignata, vel permutata, intra sex menses conferenda. tit. 1. dub. 11. §. 11. pag. 160 & 161

Beneficii appellatione venit officium perpetuum Ecclesiasticum. tit. 1. dub. 3. §. 2. pag. 70. & 71

Beneficia creata post preces Cæsareas, iisdem non afficiuntur. tit. 1. dub. 4. §. 3. pag. 76

Beneficium curatum quod dicatur, & quæ requirantur. tit. 1. dub. 6. §. 2. pag. 88

Beneficium curatum non facit potestas fori contentiosi. ibid. §. 3. pag. 89

Beneficium curatum non dicitur, quando non habet curam perpetuam. ibid.

Beneficium curatum non dicitur prioratus per Vicarium perpetuum deserviri solitus. ibid.

Beneficia curata comprehenduntur sub Concordatis Germaniæ. tit. 1. dub. 6. §. 1. & 5. pag. 87. & 90

Beneficia curata provideri debent per concursum, etiam si vacent in mensibus Apostolicis, alioquin collatio est nullæ. tit. 1. dub. 6. §. 5. pag. 90. 93. 94. & seq. & §. 7. pag. 98. & 99.

Beneficiorum collatio non potest vigore foundationis, Ordinariis in omni mense reservari, exeluso Papa; adeoq; nihil impedit, quò minus cadant sub Concordatis Germaniæ. tit. 1. dub. 4. §. 5. pag. 77. & seq.

Beneficium conferri potest ab Ordinario, dum sciri nequit dies obitus defuncti. tit. 1. dub. 12. §. 6. & 7. pag. 165

Beneficium

INDEX LOCUPLETISSIMVS

Beneficia Ecclesiastica, quomodo-
cumque nuncupentur, dummodò in ti-
tulum dentur, cadunt sub Regula 9.
Cancellariæ Apostolicæ, & Concordatis
Germaniæ. tit. 1. dub. 3. §. 3. pag. 71
Beneficium Ecclesiasticum perpetuū
unde probatur. ibid. §. 5. pag. 72
Beneficia inferiora electiva cadunt
sub Concordatis Germaniæ. tit. 1. dub. 1.
§. 14. 15. 16. & seq. pag. 57. & seq. & e-
jusd. dub. §. 21. pag. 64
Beneficia etiam tenuissima cadunt
sub Concordatis Germaniæ, & Regu-
la 9. Cancellariæ Apostolicæ. tit. 1. dub.
2. §. 3. pag. 68. & dub. 3. §. 3. pag. 71
Beneficia & officia, ut cadant sub
Concordatis Germaniæ, debent esse
perpetua, & in titulum dari. tit. 1. dub. 3.
§. 2. pag. 70. & 71
Beneficia exemptorum, ex causa ne-
gligentia devolvuntur ad Papam, non
tamen Regularium. tit. 1. dub. 11. §. 7. &
8. pag. 158. & 159
Beneficia ex diuturnitate temporis
censentur ab Episcopo in titulos erecta.
tit. 1. dub. 3. §. 5. pag. 72
Beneficia Germaniæ, Hispaniæ, Gal-
liæ & Belgii non rescribuntur nisi ad
24. ducatos de Camera. tit. 2. dub. unico.
§. 2. pag. 168. & 169
Beneficia in Diocesi Leodien. non
excedentia duas argenti marchas, libe-
rè possunt Ordinarii conferre in omni
mense. uti & Cameracenses, non ob-
stantibus Concordatis Germaniæ. tit.
1. dub. 1. §. 20. pag. 63. 64. & tit. 3. dub. 1.
post §. 15. in adducta ibid. *Vis* Papæ 2.
Constit. num. 9. pag. 200. & §. 16. in Di-
plomate Caroli 5. num. 1. pag. 204
Beneficia in quibus quis habet re-
gressum, non cadunt sub Concordatis
Germaniæ. tit. 1. dub. 2. §. 1. pag. 117. & 118
Beneficia in mense Apostolico ere-
cta, possunt per Ordinarios conferri,
nec cadunt in prima vacatione ex causa
erectionis, sub Regulis reservatoriis.
tit. 1. dub. 4. §. 4. pag. 77
Beneficia intra præscriptum tempus
non collata devolvuntur gradatim ad
immediatum Superiorem. tit. 1. dub. 11.
§. 6. pag. 157

Beneficia juris patronatus Ecclesia-
stici cadunt sub Concordatis Germa-
niæ, & Regulis Cancellariæ Apostoli-
cæ, non tamen juris patronatus Laici,
vel mixti. tit. 1. dub. 5. §. 7. 8. & 14. pag. 81.
82. & 84.

Beneficia juris patronatus Laici, et-
iam vacantia apud s. Sedem, spectant
ad nominationem patronorum, & insti-
tutionem Ordinariorum. ibid. §. 13. p. 84

Beneficia manualia & ad autum a-
movibilia non comprehenduntur sub
Concordatis Germaniæ, aut Regulis
reservatoriis. tit. 1. dub. 3. §. 4. pag. 72

Beneficium manuale & amovibile sic
consuetudine & præscriptione perpe-
tuum. ibid. §. 6. pag. 73

Beneficia monocularia quæ dicantur.
tit. 1. dub. 2. §. 2. pag. 67

Beneficia monocularia comprehen-
duntur sub Concordatis Germaniæ, &
Regula 9. Cancellariæ Apostolicæ. ibid.
§. 3. pag. 67. & 68

Beneficium obtineas contra formam
Concordatorum Germaniæ, nullum
habet titulum, nequidem coloratum,
nec ullam possessionem, nec juvatur
Regula de Annali, vel triennali possessore,
sed habetur pro merè intruso. tit. 1. dub.
2. §. 5. pag. 69. & tit. 3. dub. 2. §. 10. & 11.
pag. 217. & seq. & §. 13. & 14. pag. 223.
item §. 17. & 18. pag. 224. & 225.

Beneficia Papæ reservata per Regu-
las Cancell. Apost. eo mortuo, non ma-
nent reservata, sed Ordinarius potest
illa in omni mense conferre, secus au-
tem in reservatis per Concordata Ger-
maniæ. tit. 1. dub. 8. §. 14. pag. 118

Beneficia Papæ reservata per Con-
cordata Germaniæ, debent intra tres
menses à die notæ vacationis conferri,
ita ut de hoc in loco beneficii conferri,
alioquin devolvuntur ad Ordinarios.
text. Concord. num. 5. pag. 9. & tit. 1.
dub. 1. §. 14. pag. 57. & eod. tit. 1. dub. 11.
§. 1. pag. 150. & seq.

Beneficia verò Ordinariis reservata
debent intra sex menses à die notæ va-
cationis conferri, alioqui devolvuntur
gradatim ad proximos Superiores. tit. 1.
dub.

Dub. 11 §. 6 & seq. pag. 157. & seq.

Beneficii perpetuitas colligitur ex fundatione, dotatione, atque Episcopi Diocesani institutione & approbatione tit. 1. dub. 3. §. 3. pag. 71

Beneficia in dubio præsumuntur perpetua, & Episcopi Diocesani auctoritate erecta, licet de eo non appareat, tit. 1. dub. 3 §. 5. pag. 72

Beneficium perpetuum debet conferri ad vitam beneficiari. ibid.

Beneficium non desinit esse perpetuum, licet beneficiatus iusta de causa amoveri queat: imò quamvis in receptione sua juret, se ad nutum collatoris, beneficium cessurum. ibid. §. 7. pag. 74

Beneficia post datam Concordatorum Germaniæ erecta, sub iis comprehenduntur, ut & sub Regula 9. Cancell. Apost. tit. 1. dub. 4 §. 2. pag. 75

Beneficia quæcumque, exceptis majoribus dignitatibus in Cathedralibus, & principalibus in Ecclesiis Collegiatis, comprehenduntur sub alterativa Concordatorum Germaniæ. text. Concord. num. 5. pag. 8. & tit. 1. dub. 1. §. 14. 15. 16. & seq. pag. 57. & seq. & ejusd. dub. §. 21. pag. 64

Beneficia ipso jure vacantia an sub Concordatis Germaniæ cadant. tit. 1. dub. 1. §. 22. pag. 64. & 65

Beneficia quænam reserventur per Constitutiones *Execrabilis* & *Ad regimen*. text. Concord. num. 3. pag. 4. & tit. 1. dub. 1. §. 1. pag. 12

Beneficia quæ vacant in mensibus Ordinarii, conferri possunt ab eodem, cæpto mense Apostolico. tit. 1. dub. 12. §. 8. pag. 166

Beneficia coram Episcopo Diocesano resignata, non possunt suis, vel resignantium consanguineis conferri. tit. 1. dub. 9. post §. 6. in adducta ibid. Constit. *Pii* Papæ 5. num. 4. pag. 134. & ejusd. dub. §. 8. pag. 137

Beneficii resignatio est nulla, non factâ mentione, quod ad illius titulum resignans sit Ordinatus. tit. 1. dub. 10. §. 1 & 2. pag. 143. 144. & seq.

Beneficiorum resignationes ad favo-

rem solus Papa admittit. tit. 1. dub. 9. §. 4. pag. 130 & 132

Beneficiorum resignationes simplices, vel permutationes, nemo Episcopo inferiori admittere potest. tit. 1. dub. 9. §. 10. 11. & 12. pag. 138. 139. & 140. & §. 14. pag. 141.

Beneficiorum resignationes non nisi ex causis *Pianæ* Constitutione expressis, Episcopi admittere queunt. tit. 1. dub. 9. §. 6. pag. 132. & in adducta ibid. Constit. *Pii* Papæ 5. num. 2. pag. 133. & 134. & §. 7. & 8. pag. 136 & 137.

Beneficiorum resignationes ex causis *Pianæ* Constitutionis, & permutationes, possunt Episcopi in omni mense admittere. tit. 1. dub. 9 §. 9. pag. 137

Beneficium simplex potius præsumitur, quàm curatum. tit. 1. dub. 6. §. 4. pag. 89

Beneficia vacantia in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris & Decembris, sunt Ordinario reservata, in aliis autem sex mensibus spectant ad Papam. text. Concord. num. 5. pag. 8. & seq. & tit. 1. dub. 1. §. 14. 15. 16. & seq. pag. 57. 58 & seq. & ejusd. dub. §. 21. pag. 64.

Beneficia vacantia per promotionem ad Episcopatum, non comprehendunt Episcopos Titulares. tit. 1. dub. 1. §. 24. pag. 66.

Beneficia vacantia per resignationem, aut permutationem, non cadunt sub Concordatis Germaniæ. tit. 1. dub. 9 §. 9. pag. 137. & 138.

Beneficia vacantia per Constitutiones *Execrabilis* & *Ad regimen*, sunt Papæ reservata, salvis modificationibus. text. Concord. num. 3. pag. 4. & seq. & tit. 1. dub. 1. §. 1. pag. 12

Beneficia vacantia per promotionem ad Episcopatum, etiam electiva, sunt Papæ reservata. text. Concord. num. 3. pag. 6 & 7. & tit. 1. dub. 1. §. 23. pag. 65

Beneficia vacantia ipso jure, uti propter hæresim, Simoniam, non publicatam intra tempus constitutum resignationem, non comprehenduntur sub Concordatis Germaniæ, sed sunt Papæ

INDEX LOCUPLETISSIMVS

Specialiter reservata. tit. 1. dub. 1. §. 22. pag. 64. & 65
 Beneficia vacantia apud S. Sedem sunt Papæ reservata, conferrî tamen debent intra mensem à die vacationis. tit. 1. dub. 11. §. 4. pag. 157
 Beneficium vacat per obitum, si resignans vel permutans non supervixerit xx. dies à die præstiti consensus. tit. 1. dub. 10. §. 8. pag. 149
 Beneficium vacat per obitum, dum resignans moritur, non factâ mentione, quod ad illius titulum fuit Ordinatus. tit. 1. dub. 10. §. 2. & seq. pag. 144. 145. & seq.
 Beneficium vacat per obitum, ubi resignarius ante captam possessionem vivente resignante, moritur, secus autem, si resignans post consensus præstitum moriatur. ibid. §. 9. p. 149. & 150.
 Beneficiorum ultimus status attendendus. tit. 1. dub. 3. §. 7. pag. 74
 In beneficialibus longa detentio non justificat titulum aliàs invalidum. tit. 3. dub. 2. §. 18. pag. 225
 Beneficiati justa amotio, non facit beneficium amovibile. tit. 1. dub. 3. §. 7. pag. 74
 Beneficiati quamvis in receptione sua jurent, se ad nutum collatoris, beneficio cessuros, non idèò desinunt esse perpetui beneficiati. ibid.
 Breve Clementis Papæ 8. ad Rudolphum 2. Imper. tit. 3. dub. 1. post §. 6. pag. 177. & seq.
C.
Cæsar, vidè, Imperator.
 Cameracenses servant Concordatâ Germaniæ. tit. 3. dub. 1. §. 2. & 5. pag. 174. 176. & 177.
 Canonatus Tungrensis vigore Concordatorum Germaniæ adjudicatus Richardo Paulo Stravio Avunculo Autoris. tit. 1. dub. 1. §. 6. pag. 58. & 59. & dub. 8. §. 8. pag. 25. & tit. 3. dub. 3. §. 13. pag. 254
 Canonice electiones quæ dicantur. tit. 1. dub. 1. §. 4. pag. 13. & seq.
 Canonice electionis forma. ibid.
 Canonice electionis forma quadruplex. ibid.

Canonica electio accipitur tribus modis. tit. 1. dub. 1. post §. 5. in adductâ ibid. decis. Rotal. num. 6. pag. 29
 Canonice leges. & Constitutiones Apostolicæ non tolluntur non usu, præscriptione, aut contrariâ consuetudine, nisi cum certa & positiva scientia Papæ, ejusq; expresso consensu. tit. 1. dub. 1. post §. 5. in adductâ ibid. decis. Rotal. num. 3. pag. 25. & num. 4. & 5. pag. 27. & 28. & tit. 3. dub. 2. §. 4. 5. 6. 7. & seq. pag. 212. 213. 214. & seq. & ejusd. dub. §. 11. & 19. pag. 217. & 226.
 Capellæ quæ in titulum dantur, cadunt sub Concordatis Germaniæ, & Regula 9. Cancellariæ Apostolicæ. tit. 1. dub. 3. §. 3. pag. 72
 Capellæ præsumuntur Episcopi Diocesani auctoritate erectæ. ibid. §. 5. p. 72
 Capellani nihil recipere possunt pro receptione novi Canonici. tit. 2. dub. unico. §. 6. pag. 171
 Capitula non possunt recipere beneficiorum resignaciones, aut permutaciones. tit. 1. dub. 9. §. 10. 11. 12. 13. & 14. pag. 138. 139. 140. & 141
 Capitula nihil possunt accipere, vel exigere citra Simoniam, pro Canonice, vel beneficiatorum electione, præsentatione, institutione, confirmatione, receptione, vel ad possessionem admissionem, nisi id solitum sit in pios usus converti. tit. 2. dub. unico §. 6. p. 171
 Capitula tamen possunt excusari, si pro molestia congregationum, literarum prolixarum lectura, similive operâ aliquot accipiant. ibid. §. 7. pag. 172
 Capitula non possunt condere statutum, quo obligentur novi Canonici aliquid dare pro receptione sua, nec id in usum pium convertere, quod antè vertebatur in proprium. ibid.
 Capitulationes Ferdinandi 4. Regis Rom. super Concordatis Germaniæ. tit. 3. dub. 2. §. 8. pag. 217
 c. quia propter de elect. servandum in electionibus, ut dicantur canonice. tit. 1. dub. 1. §. 4. pag. 13. 14. & in adductis ibid. decis. Rotal.
 c. quia propter de elect. servari debet in electionibus.

electionibus Abbatum. ibid. post §. 4. in adducta decis. Rot. num. 1. & seq. pag. 15. & num. 12 pag. 21. & in subseq. decis. Rot. pag. 24. & seq.

c. quia propter. servandum in electione quorumcumque Prælatorum Regularium. tit. 1. dub. 1. §. 8. pag. 45

c. quia propter. explicatur. ibid. post §. 4. in adducta decis. Rot. num. 5. pag. 17

c. quia propter. derogat Regulæ S. Benedicti præscriptæ in electionibus. ibid. in ead. decis. num. 11. pag. 21. & 22

c. quia propter. locum habet in majoribus dignitatibus, & principalibus in Ecclesiis Collegiatis, non autem in Decanat. bus. tit. 1. dub. 1. §. 6. pag. 37. & in adductis ibid. decis. Rot. pag. 38. 39. 40. 41. 42. & seq.

c. quia propter. procedit in electionibus ad Ecclesias, quæ per mortem Prælati viduantur. ibid. post §. 6. in prima decis. Rot. num. 2. pag. 38

Cardinalium indulgia comprehendunt beneficia coadjutoriis affecta. tit. 1. dub. 8. §. 9. pag. 125

Caroli 5. Imperatoris privilegium pro Leodiensibus. tit. 3. dub. 1. post §. 16. pag. 201. & seq.

Causæ, citra quas Episcopi resignationes simplices beneficiorum admittere non possunt ex Constit. Pii Papæ 5. relata. tit. 1. dub. 9. post §. 6. pag. 132. & seq. & ibid. §. 7. pag. 136. & seq.

Causæ beneficiorum S. Sedi reservatorum possunt in prima instantia in Curia Romana decidi. tit. 3. dub. 2. §. 25. & seq. pag. 247. & seq.

Choraulibus nihil dandum pro receptione novi Canonici. tit. 2. dub. unico. §. 6. pag. 171

Io. à Chokier encomium. tit. 1. dub. 1. §. 1. pag. 12

Clausula Decreti irritantis, vide, Decretum irritans.

Clementis Papæ 7. Constitutio contra violatores Concordatorum Germaniæ. tit. 3. dub. 2. post §. 12. pag. 218. & seq.

Clementis Papæ 7. Constitutio contra impediētes executionem provisionum Apostolicarum. tit. 3. dub. 2. post §. 23. pag. 229. & seq.

Clemens Papa 7. decrevit provisos contra Concordata Germaniæ, nullum titulum, vel colorem habere possidendi beneficia, sed esse meros intrusos, atque ad fructuum restitutionem teneri. tit. 1. dub. 2. §. 5. pag. 69. & tit. 3. dub. 2. §. 12. pag. 217. 218. & seq. & §. 13. 14. 15. 16. & 17. pag. 223. & 224. & seq.

Clementis Papa 8. Breve ad Rudolphum 2. Imperatorem. tit. 3. dub. 1. post §. 6. pag. 177

Coadjutoria quid sit, & quotuplex. tit. 1. dub. 8. §. 2. & 3. pag. 116

